DE ECCLESIA SEPTEMPEDANA
LIBRI III.

AUCTORE

JOANNE CAROLO CAN. GENTILIO
E SANCTOSEVERINO

Pars Secunda



MACERATÆ 1837.
EX OFFICINA ALEXANDRI MANCINI
Superiorum Permissu

Digitized by Google

Suum cuique decus posteritas rependit.
(*Tac. Ann. Lib. VI. Cap.* 25.)

Digitized by Google

DE ECCLESIA

SEPTEMPEDANA

Liber Secundus

Ubi ex oriente in occidentem Monachorum institutio delata fuit, minime a vero abludet quisquis opinetur, in Italia prima illius fundamenta jacta fuisse Mediolani, Romae, Ravennae, Nolae, atque inde in reliquas Italiae, et in occidentis urbes diffusam fuisse, ac propagatam saeculo Christi VI. Hoc enim tempore fulgidissimum Ecclesiae lumen S. Benedictus floruit, suumque religiosum ordinem condidit, per quem tum maxime leges, melioremque disciplinam in exteriori, et potissimum in interiori animorum cultu suscepit monasticum in Italia institutum. Imo et quae ante Benedictum, vel eo vivente, aut vita functo, sine ejus regula emerserant monasteria, sensim sibi

eum deinde adscivere patrem, atque magistrum. Hinc saeculis, quibus Barbari totum pervasere occidentem, apud urbes monachi claustra aperientes, egregie necessitati Ecclesiae consuluerunt, non minus excolendo literas, quam virtutibus operam dando. Quae semper in causa fuerunt, cur incredibili voluptate pascerer, et majorem quemdam in modum sensibus intimis afficerer, quotiescumque monasticas res tractaverim. Quid potest esse jucundius? Patent in iis Ecclesiae vicissitudines, temporum mutationes, ex quibus, quae vitanda nobis sint, quae expetenda, nullo periculo sedentes in otio docemur. Hoc in genere secundus hic liber, ni fallor, excellit. Res monasteriorum apud Septempedanos ita narrat, ut omnia consilia nostra, omnes actiones veterum exemplorum regula metiamur. Quae cum sit omnium, qui annales evolvunt, communis utilitas; alia quaedam erit nostra conditio in hac serie texenda. Habebunt cives in unoquoque tam virorum, quam mulierum claustro suae prope familiae historiam, neque sibi, si quid invenire velint imitatione dignum, confugere ad alios necesse erit, neque longius evagari, et quasi animo, ac mente peregrinari. Horum justi

erunt plures, prudentes alii, fortes multi: et nemo tam erit aversus a gloria, qui non aliquid de suis, quod nulla confici, aut consumi aetate possit, mandari monumentis desideret.

Digitized by Google

I.

De virorum ac mulierum Monasteriis apud Septempedanos.

DE BENEDICTINORUM FAMILIIS

Ne pravis quidem temporibus desiderata sunt viva, ac crebra sanctitatis exempla apud monachos; et Ecclesia vel tunc ostendere potuit, suam pulchritudinem nunquam defecisse. Nil ergo mirum, si ex montibus et agris, ubi prima Benedictinorum coenobia locata sunt, in urbes etiam adsciti olim fuerint illorum coetus: uti neque mirum, si nova in dies monasteria excitarentur, et non urbium tantummodo, sed et oppidorum, et vicorum habitatores certatim conquirerent, aut lubentissime exciperent unam, imo plures apud se Benedictini ordinis familias. Multa ex iis numerantur a Romanis Pontificibus, aliisque Episcopis constituta: multa a Principibus Beneventanis: multa a Ducibus Forijulii, Tusciae, atque ab aliis Italiae dynastis. Nam erant passim, qui saeculares curas, atque tumultus pertaesi ad con-

dendum aliquod monasterium universas suas opes conferebant, ut illic reliquum vitae in solitudine, et operibus sanctis transigerent. Neque se tantum monastico instituto alligabant, sed etiam liberos offerebant, atque interdum pueros vix unum, aut alterum annum supergressos. Verum, sive quod, progrediente tempore, consuetudo inoleverit, ut Abbatiae, et praesertim pinguiores, non regendae sed quasi diripiendae traderentur extraneis; sive quod saeculis factionibus plenis meliora quoque instituta in deterius ruere consueverint; sive ob alias causas, quas recensere nihil attinet; pessum ire coepit plerisque in locis monasticus ordo, et in pejus ruere innumerabilis ille coenobiorum cumulus, unde tot exempla virtutum collegerant Itali. Haec ferme omnia tempus, et bellorum rabies etiam inter nos delevit, uti manifestum fit ex iis, quae nobis erunt dicenda.

§. I.

De Monasterio S. Laurentii in Doliolo

Nondum Septempedani adoraverant Christum, cum ad radices *Montis Nigri* Feroniae templum surgebat. Nondum Septempedam deleverant Gothi, et jam hic Basiliani primum, mox Benedictini claustra posuerant, quos inter postremos SS. Severinus, et Victorinus fratres haeserunt mutua in Deum contemplatione. Sylva erat in conspectu, raris, sed in ingens spatium effusis, arboribus, subter quas fruticum dumorumque caligine, velut in insidias, templum latebat. Ita vetustissimam S. Laurentii *in Doliolo* historiam consarcinarunt nostratium rerum scriptores, in qua digerenda nullum genuinum retulere monumentum. Non vacat hic singula excutere, et ad trutinam revocare: ante enim Septempedae vastitatem nulla mihi documenta probant, an in Feroniae templo essent Basiliani. Inter vero duodecim monasteria a S. Benedicto instituta (qui circa tempus divi

Severini obitus diem clausit extremum) Septempedanum minime recensetur, teste Gallonio. Tamen, si quis monachorum originem etiam inter nostros vel a primis Ecclesiae saeculis deducere velit, argumenta non deerunt, quibus ejusmodi opinio veri omnino similis appareat: non quod monasteria jam tum esse coeperint, sed quod homines inter christianos ne tum sane defuerint, qui divina Christi philosophia imbuti caelestium rerum contemplationi sese totos addicerent. Quum vero solitudini ipsi sese dederunt, sive *eremiticam* vivendi rationem sequerentur (uti de SS. Severino et Victorino tenendum sane est) sive in *monasteriola* a populi consortio remota sese reciperent; tum tandem monachi, etiam in Italia, appellari coepti sunt, etsi nomina quidem sua non dedissent aut Basilianis, aut Benedictinis.

Doliorum figuram interdum praeseferebant vascula vitrea, quibus sanguinem SS. Martyrum christiani veteres includebant. Hoc idem simbolum insculpi lapidibus, parietibusque solebat: quin etiam picta *Dolia* interdum in Ecclesiis visebantur. Id vero Scriptores aliquot eo consilio factum putant, ut intelligeretur, commissuris lignorum, quibus *Dolia* compo-

nuntur, mutuum christianorum amorem antiquitus indicari. Esse praeterea quosdam constat, qui Ecclesiae figuram *Dolium*, seu *Doliola* esse contendant. Hinc nil mirum, si ad christianorum concordiam in sacra Laurentiana aede indicandam remotioribus saeculis *Dolii* simbolum viseretur, a quo forsan aedes ipsa nomen accepit. Caeterum ethnica symbola, praesertim in arenariis christianorum, non rei alicujus sacrae designandae ponebantur, sed causâ memoria tenendi loci, in quo amici cujusquam corpus jaceret. Idcirco et fibulas plerumque, et personarum figuras, et annulos, et eburnea, ferrea, et ejusmodi materiae instrumenta christiani veteres addebant, quibus significatio inesset omnino nulla, uti tradunt Boldettus, Aringhus, et Lupius.

In comperto est apud eruditos cives, sacram Laurentianam aedem primis ecclesiae saeculis fuisse perfectam. Id non tantum *Dolii*, seu *Dolioli* verba testantur, verum multo magis ipsum aedificandi genus tophis, vel lapidibus ferme aequaliter sectis compactum, ut prisma quadratum referret; tum etiam columnarum forma, quae ad haec usque tempora conspiciuntur, atque stantes adhuc

parietes et fornices subterraneae testudinis, quam ad lucem excipiendam exiliter antiqui homines perforabant, quamque *cryptas areas*, aut *areas sepulturarum*, aut *arenarias*, aut *coemeteria*, aut *martyrum concilia* ipsi appellabant. Ex ipsis vero fornicibus unam esse deprehenditur ex eisdem cryptis, quas docti viri, veterumque rerum studiosi si forte reperiant, uti pretiosissima loca venerantur, ac magnum quid se conspexisse putant. Conjectare licet, uti novae substructiones satis affirmant, eam integram usque ad saeculum XIV. extitisse. Fateri tamen oportet, post saeculum XVI. a pristina dignitate eam sensim (1) decidisse. Utinam templi curatores picturas, manu magistri Laurentii, et Jacobi civium nostrorum satis insignes et priscas, compluribus locis sacrilego ausu deletas, novo artis invento ad pristinum cultum una cum cryptis reducendas curarent! Non inde tamen eorum sententiae adhaeremus, qui illas Graecas imagines praeseferentes autumant, non aliam ob causam,

---

(1) Riccius Tom. 1. pag. 186. - *Arti ed Artisti della Marca d' Ancona* -

quam propter Basilianorum sedem hac in aede firmandam. Certum tamen est, S. Benedicti regulam antiquitus fuisse inibi invectam, et longe ante saeculum XI. eam veluti apicem attigisse.

A. C. 1119 Patet, anno 1119 oppidum nostrum una cum bonis hujus monasterii jure (1) emphytheutico Warnerio marchioni, et Altrudae comitissae, filioque Warnerio a Laurentio Episcopo Camerinensi (2) fuisse cessum. Qui illius aetatis historiam vel a limine salutavit, novit profecto, uti opinor, per haec potissimum tempora Episcoporum opes mirifice crevisse. Tum passim homines a sacris viris in emphytheusim petebant, annuo censu promisso, agros, domos, curtes etiam et oppida ad Ecclesiam utcumque spectantia. Et quo id faciliori negotio ipsi impetrarent, bona eadem *precario*, seu *libellario* nomine recipiebant, dum vita ipsi essent, aut etiam filii, atque nepotes. Simile exemplum emphytheusis praebet haec Lauren-

(1) Turchius Cam. sacr. fol. 175.

(2) Idipsum fecit Azo Episcopus Firmanus eidem Warnerio de castro Agelli. *Adam. fragm. de reb. Firman. lib.* 1. *cap.* 25.

Digitized by Google

tii charta, in qua etiam aperte legitur, Episcopum id egisse, quia *Warnerium sperabat suae ecclesiae* fore *defensorem*. Et sane Henricus V. Germaniae rex Marchiam Anconitanam (1) tyrannice invaserat, et Romam progressus per vim imperii titulos, et jus deferendi episcopatus, aliaque ecclesiastica munera, quibuscumque vellet, (2) extorserat. Et quamvis, post Henrici discessum, Paschalis II. Pontifex in concilio Lateranensi ea omnia, per vim expressa, irrita esse declarasset; attamen Henricus, exceptis Italorum legatis, qui rerum novandarum studio tenebantur, ita animos resumpserat, ut repetendae Italiae, illiusque subigendae spem animo haud dubiam concepisset. Romam igitur, triumphantis specie, ingressus Mauritium Episcopum, a quo imperii titulos denuo ipse acceperat, Pontificem obtrudendum curavit. Sed tandem (3) remisso Episcoporum, et Abbatum instituendorum jure,

(1) Otho s. Blasii *in app.* ad chron. Othonis Frisingensis.

(2) Petrus Diaconus Cassinensis.

(3) Petrus de Marca *lib.* 8. de concordia sacerdotii, et imperii.

anathematis ignominia exemptus, bona fide cum Callisto II. Pontifice rediit in gratiam. Ita Ecclesiae pace reddita, et bonis omnibus hactenus ablatis Ecclesiae Romanae, aliisque restitutis; nil mirum, si Laurentiani coenobii auctoritas nova sumpsit incrementa, Warneriana pactione excussa. In charta anno 1146 exarata habetur *unio* Ecclesiae *S. Angeli de Domoris in valle Gabiana* huic coenobio facta a Theodino Episcopo Camerinensi, et a Warnerio duce ac marchione, uti scribit Mabillonius (1).

A. C. 1146

Gliscentibus iterum in Italia tumultibus, Eugenius III. in Galliam secesserat, tutissimum perfugium Pontificum Romanorum, susceptus a Ludovico VII. perhonorifice. Sed, pace cum Romanis facta, urbem tertio ipse ingreditur, ibique commoratur cum eis (2) anno 1152, in quo idem Theodinus episcopus rursus donavit *ecclesiam s. Michaelis, quae est in loco, qui dicitur Domora, in valle Gabiana, ecclesiae et monasterio s. Salvatoris, et s. Laurentii aedificatis juxta castrum Sancti-Severini in loco*

A. C. 1152

---

(1) Annal. *tom.* 4. *pag.* 381. - Turchius Cam. Sac.

(2) Robertus de Monte *in appen.* ad chron, Sigeberti.

qui dicitur Planus-Camerini, uti docet monumentum, quod annum tulit (1) postremo relatum. Sed si istud perbelle accidit, ut ejusmodi incrementum innotescat, dolendum tamen, nequaquam de omnibus innotescere.

Dici vix potest, quanta passa sit Ecclesia a quatuor falsis Pontificibus, ab Henrico II. Angliae rege, et Friderico I. imperatore. Fugam capere coacti Romani Pontifices, exulare compulsi, anathemate damnati. Modo Otho Saxoniae dux haud manens in pactione invadebat contra jusjurandum provincias Romanae Ecclesiae: modo Fridericus II. odiis intestinis ac factionibus dilacerabat Italiam. Ast haec inter pro Laurentiano coenobio illustrando alia praesto sunt documenta, quae nostratium cultoribus non injucunda futura esse confido.

A. C. 1235

Cum magnopere cuperet anno 1235 juribus monasterii *Dopnus Rinaldus* consulere, et exploratum ipse haberet, Episcopum Humanae, et Priores *s. Flaviani, et s. Joannis in Pertica* apud Recinetenses judicio esse praeditos singulari; effecit, ut ipsi tandem aliquando judicandi, terminandique curam susciperent vete-

(1) Annal. Camal. *tom.* 3. *lib.* 29. Turchius.

rem controversiarum causam, quam monachi quosdam ob agros cum Trejensibus habebant. Quantum enim ex ea periculi monasterii rebus impenderet, satis, me tacente, transactio ipsa in divi Martini obsignata die 10 maii (1) per se loquitur.

Interim Fridericus non libidinis tantum, sed saevitiae quoque exempla edebat plusquam tyrannicae. Haeredem Italicarum ditionum, atque ideo, si fas, imperii instituebat Conradum filium. Is Venetorum ope in Apuliam delatus brevi militem in Ecclesiam conscripsit. Nec Pontificis officia quicquam, neque argumenta apud profanum principem valuere; tumque spes omnis in Italia pacis evanuit. Imo passim dynastae in subditos sibi populos ita grassabantur; ut in eorum perniciem monstra ab inferis excitata viderentur. Quare ejusmodi etiam inter nos saevitiae exemplum ex charta, quam anno 1267 die 14 augusti, jubente Guidone Vicario et Judice in Marchia Anconitana, Rinaldus scripsit, petere quisque poterit: quae nos modo scilicet conglobatim (2) congerimus.

A. C. 1267

(1) Ex rogitibus Petri Notarii Trejensis.

(2) Ex tabul. capitulari.

Perlatum erat ad *Rinaldum Dominae Bertae*, *per Antenisium Joannis e Fabriano* nonnulla in Mathilicenses moveri. Eas ob res Guidonem hortandum esse in primis Rinaldus duxit, ut properaret oppidanis auxilium ferre. Et officio is quidem functus est optimi judicis, et spem omnem Antenisio abstulit aliena jura proterendi. Quid enim minus hominis, quam hominum bene viventium conventus diripere, eisque vim inferre conari? Perquisivit Guido inter alia, an Cardinalis Simon, Marchiae Legatus, superiore anno *Simonettum Gentilis ab Auximo* Potestatem Mathilicae renuntiasset nec ne. Varii etiam, atque difficiles fortunae casus, quos Valimbenes abbas s. Laurentii per ea tempora fuit perpessus, dum sacrilego ausu a *Francisco Assisiensi*, olim judice apud Camertes, appetitus dies plane injucundos trahebat, Guidonem tum vehementer commoverunt, ut afflictam dignitatem ejus modis omnibus sublevaret.

Sed Abbas ipse paulo post vivere desiit: et ex scheda in Urbevetano agro exarata anno 1271 die 24 julii certior sum factus, in Valimbenis locum suffectum fuisse Balzanum. Guilielmus vicarius, et Joannes judex in Marchia Anconitana quamdam pecuniae vim Mathi-

A. C. 1271

licensibus extorserant. Quod quidem omne Oppidanis persane grave fuit, et ejusmodi visum est, ut tolerari ab ipsis nullo pacto deberet. Quare ad Grimerium *Vicedominum* archidioecesis Aquensis, cappellanum Pontificis ejusque Auditorem, (1) provocarunt, ut ex Balzani judicio Guilielmus, et Joannes efficerent, ut ad suum Mathilicenses pervenirent sine mora. Dum haec inter nos a Balzanò agebantur, Gregorius X. ad dissidentes Italiae Principes perenni pace conciliandos nihil magis conducere existimabat, quam oecumenicum concilium Lugduni, Galliae urbis, cogere. Sed brevi in Italia bellum recruduit, et Nicolaus III. tandem Latinum, ac Bertoldum Ursinos cardinales in pontificiam ditionem legavit, qui populos a Gibellinis seductos in officio continerent. Rebus ita fluctuantibus, narrarunt Balzano abbati incolae castri Pitini de sua in monachos pietate sane multa. Itaque eos valde dilexit Abbas, et in eodem castro Ecclesiam s. Mariae cultu, ac sumptu maximo ipse exstruxit; eam quoque ornavit, et ad divinum in ea obsequium augendum animarum procurationem ei

---

(1) Ex eodem tabulario.

addixit, diplomate prolixe admodum hac de re edito anno 1292. (1) A. C. 1292

Mox subiit annus 1300, qui saecularis dicitur, quem Bonifacius VIII. ita sacratum voluit, ut adeuntibus urbem populis, ac sanctiora inibi templa rite invisentibus noxarum veniam cumulatissime largitus fuerit. Illud tum communius receptum erat, ut, cum aliqua Ecclesia esset decoranda, plures Episcopi per literas rogarentur, ut, ad illius splendorem augendum, conciliandamque majorem hominum venerationem, ei Ecclesiae symbolam conferrent, hoc est, singuli, quas possent, indulgentias concederent. Ut vero plures uno loco et tempore reperirentur Episcopi, a quibus hoc beneficium impetraretur; ad eos scribi non raro consuevit, qui apud Romanum Pontificem degebant. Extat diploma (2) ad eorum temporum disciplinam de indulgentiarum oeconomia confirmandam. Etenim anno desuper allato Abbas monasterii ab undeviginti Episcopis Romae tum commorantibus obtinuit indulgentias statis 1300

---

(1) Ex decis. s. Rotae in causa *nullius* ann. 1660.
(2) Turchius *in appendice*.

in sacra Laurentiana aede festis diebus lucrandas, inter quos ille *ss. martyrum Hyppoliti ac Justini*, de quibus infra erit sermo.

Haud multo post exarsit civili bello Etruria, quam ut pacaret Benedictus XI. Nicolaum Pratensem Episcopum Cardinalem Ostiensem eo destinavit. Sed ipse nulla vi potuit perficere, ut extorres cives revocarentur. Mox Clemens V. Pontifex sublectus, qui Romanam sedem in Galliam transtulerat, Neapoleonem Ursinum Cardinalem in Tusciam ipsam, ac ditionem pontificiam legavit, ut discordiae semen, si fas, tolleret. At, veluti aestro percitus, acriter in sequestrem pacis Clementem invectus est Henricus VII. Dum igitur et cives nostri factiones tam infestas experiebantur, et necesse habebant auxilia undique conquirere; Urbanum abbatem s. Laurentii parochus Castri Pitini suas afflictas in res ita hortatus est, ut Ecclesiae decumas (1) monasterio quotannis impertiendas Abbas ipse anno 1313 decurtaret. A. C. 1313

Si Joannes XXII. navigio Avenionem, secundo Rhodano, delatus sedem inibi pontificiam pariter figebat, seu quod a romanorum

(1) Ex decis. s. Rotae ann. 1660.

turbis, totiusque Italiae factionibus metueret, seu Gallorum regem, ac principes, ne abeuntem detinerent, pertimesceret: Episcopi in Italia jam a saeculo XIII. ad jura ecclesiastica a dynastarum impotentia vindicanda satius duxere locis haud infimis (1) vicarios plerumque inter monachos cooptatos constituere, qui *canonicam portionem* ita dictam exigerent. Quod ejusmodi munere inter nos Andreas abbas s. Laurentii esset cohonestatus anno 1323, patet ex scheda ea de re (2) vulgata die 1 februarii.

A. C. 1323

Vix Bavarus Romam accessit, Capitolium iniit, et redimitus ibi fuit una cum Conjuge augustali diademate; Ecclesiae urbes acerbissimis exactionibus vexare instituit. Hinc tumultus maximi, hinc cruentae rixae, caedesque mutuae; donec Benedictus XII. veluti in romani imperii interregno, Italiae regulos plerosque suos, ac romanae ecclesiae Vicarios constituit. Hoc tempore apud Marchiae Anconitanae aerarii quaestorem multa in fiscum a Mathilicensibus jactata sunt. Conquerebantur, jura ad

(1) *Osser. crit. alle antichità crist. di Cingoli tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 18.

(2) Ex actis Jacobi Philippi.

arbitrium devoluta; quae gentium erant, gentibus reddenda esse ajebant; ut qui res sacras tutati essent patrocinio, nunc desertas esse nollent, modis omnibus implorabant. Extat locupletissimum Mathilicensium ad concordiae negotium (1) transigendum mandatum a *Buzeo Joannis de Nursia* anno 1337 die 5 maii exaratum, et coram Matthaeo Jacobi abbate s. Laurentii lectum. Angebantur animo Farfenses monachi, clericos Montelparis extra pacis semitam diutius agere, ac sub causarum periculo insordescere. Itaque de propensiori in se Matthaei voluntate tam Monachi, quam Clerici edocti literas ad eum misere, per quas controversiarum (2) conditiones omnes subituros se pollicebantur anno mox recensito.

A. C. 1337

Sed adhuc pacem in ore, gladium in manu gerebat Bavarus, novasque in dies dissidiorum occasiones quaerebat. Quare, ubi pontificatum adeptus est Clemens VI., Romani cives (3) Franciscum Petrarcham ad eum legarunt,

(1) Ex tabulario Mathilicensi.

(2) Ex tabulario capitulari oppidi s. Victoriae.

(3) Extat elegantissimum Petrarchae carmen, quo Romanam Eccles. sub sponsae typo per prosopopaejam Pontificem alloquentem exhibet.

enixe illum rogantes, ut primo quoque tempore optatus urbem reviseret. Ast consilium ipse distulit: et Innocentius VI. idem aliis de causis abjicere coactus fuit. Egregiam tamen Ecclesiae operam navavit Ægydius Carillus Albornotius Cardinalis, qui, bello ne an pace melior fuerit, incertum reliquit. Dum igitur Ægydianae constitutiones, istius opus, inter municipales Piceni leges censebantur; florebat inter nos doctrinae ac probitatis laude Andreas II. abbas s. Laurentii, qui jam ab anno 1358 Vicarium Episcopi Camerinensis (1) agebat. Illustria postmodum ob pietatis studia in Romanas res una cum Abbate *s. Apollinaris de Morellis*, et Priore Ecclesiae nostrae Andreas ipse inter alios exsolvit oppidanos nostros diris a Gregorio XI. devotos. Ii enim a Florentinis permoti plebiscita plurima adversus Ecclesiam ediderant, Ecclesiarum reditus fisco addixerant, donec anno 1379 veniam (2) ab Urbano VI. suppliciter implorarunt. Ubi Andreas diem clausit extremum; datus est, qui praeesset

A. C. 1358

A. C. 1379

(1) Ex rogitibus Jacobi Philippi, et Clodini Hieronymi.
(2) Turchius.

A. C. 1381 Laurentiano coenobio, Eustachius, qui anno 1381 die 9 augusti *Riverium Vivianum* in rectorem sacerdotii s. Mariae de Modio confirmavit (1).

Et quia Urbanus Pontifex, futurum se perpetuo Romae, Avenionem nunquam reversurum edixerat; Cardinales plerosque omnes ad secessionem impulit, et Robertum Gebennensem pseudo-Pontificem ipsi acclamarunt, quem Clementem VII. dixere. Ea in Ecclesiae perturbatione, sicuti divisa fuerunt regum studia, Gallo atque Hispano Clementi patrocinantibus; ita abundarunt coenobia illa, in quibus tepor spiritus, imo mundi vitia pacifice inhabitabant. Propterea non Pontifex tantum, sed et Episcopi certabant, ut in officio monachos continerent, quos praecepta regulae, et pastoris virga comprimere satis non poterant. Hinc a Benedicto II. Episcopo Camerinensi (2) missus est etiam inter nos exploratae probitatis vir *Nicolaus Gentilutius* de Adria Vi- A. C. 1384 carius generalis anno 1384, qui monacho-

(1) Ex rogitibus Philippi Jacobi.
(2) Ex tabulario episcopali

rum s. Laurentii disciplinam restitueret. Et id potissimum in causa fuit, cur Franciscus abbas s. Eustachii de Domora a Bonifacio IX. impetrasset anno 1393, ut jura monasterii sui a temporum successione, et bellorum rabie vehementer conflictata, Laurentianis aedibus perpetuo addicerentur, certis pactionibus utrinque initis (1).

A. C. 1393

Haud multo post Pontifex multiplici correptus morbo Puteolana balnea medicorum hortatu adire statuebat. Ast, ne ipse suspicacem Ladislaum regem offenderet, neve urbem desereret, Romanisque civibus ciendi turbas, se absente, ansam praeberet; Romae subsistere, ac fatalem horam ibi expectare satius ducebat; quae sane haud diu cunctata est. Hac tempestate monasterio regendo praefectus erat Matthaeus II. cum prius restitisset ac repugnasset, ne praeficeretur. Solicitudinis ejus argumentum, exemplo unius rei, notasse satis erit. Abbatibus monasteriorum licebat olim Ecclesiarum rectores intra gremium congregationis eligere. Nulla enim erat civitas, vel oppidum, quod aut intra moenia, aut in agro suo

(1) Vide §. 2.

non complecteretur multas cellas, curtes, fundos, domos, ac Ecclesias ad varia monasteria ordinis unius spectantia. Itaque anno 1403 *Lucarellus Colae* cappellanus s. Mariae castri Pitini nomine *Joannis Sanctuccii* in manibus Matthaei abbatis (1) remisit cappellam divi Andreae.

A. C. 1403

Hinc diri schismatis compressa veluti flamma violentius erupit, majusque incendium excitavit. Benedictum Hispaniae pars maxima sectabatur, eumque Galliae proceres non omnes deseruerant. Gregorio Ladislaus studebat: Joannem XXIII. Romani cives acciverant: concilii celebratione tandem Constantiam, Germaniae urbem, translata, et magna christiani orbis laetitia Odone de Columna a Cardinalibus Pontifice electo, qui Martinus V. voluit appellari; Ipse anno 1422 *providit monasterium* (2) *sanctorum Laurentii, et Eustachii in Doliolo.* Nam foedifragus Ladislaus jam satis ditiores quasque aedes diripuerat, templa expoliaverat, insignia ubique Pontificia disjecerat, civibus, Pontifici

A. C. 1422

---

(1) Ex actis Jacobi Philippi die 20. martii.

(2) Ex codice taxarum d. Passionei.

praesertim devotis, bonis mulctatis, carceri aut triremibus addictis, securi percussis. Hinc conatus fuit Michael Benedicti, abbas Laurentianus, nonnulla bona divendere (1) *Grimaldo Dominici Tincto*: hinc prae oculis habere *Angelum Antonii* plebanum ss. Clementis*, et Benedicti iisdem angustiis actum (2), *Nicolao Casellio*, *et Severino Andreolio* dictae plebis *canonicis* comprobantibus. Tum in Italia honestiores Clerici, qui et Canonici nominabantur, jam a saeculo XI. apud parochum lares fixerant.

Novas interim in Italia turbas excivit Nicolaus cognomento Stella, qui et Fortebrachius dictus est, Brachii ex sorore nepos. Philippus Vicecomes Pontificis tum monita, tum minas neglexisse visus est, bello Venetis denunciato, Lucensibus ac Senensibus in Florentinos incitatis. Ea Philippi ab Eugenio IV. alienatio multarum utriusque calamitatum causa extitit. Quae ideo inter nos peracta tum fuerint, scitu rursus injucunda. Satis sit dicere,

---

(1) Ex rogitibus Clodini Hieronymi 4. decembris 1419.

(2) Ex actis Antonii Petri 10. maii 1422.

Philippum Brunium jam ad Abbatis dignitatem in Laurentiano coenobio fuisse evectum, virum doctum undecumque, literis, eloquentia, dexteritate, et prudentia nulli secundum. Ipse in tot bellorum turbinibus curavit, ut ex suis interpretibus Eugenius intelligeret, qua cura Romanis in rebus procurandis apud nos ipse se gessisset. Quod quia neque novum Pontifici, neque sane non jucundum fuerat; mandavit anno 1438. Vicario Episcopi Camerinensis, operam adhiberet, ut monialium s. Joannis Baptistae *in campo Donico* (1) locorum, et bonorum possessionem Brunius Pontificis nomine assequeretur. Idque a *Judice delegato* pro muneris jure fieri volebat Eugenius: nam, si quis eorum bonorum jus sibi competere existimaret, nemini juris via experienti quod suum esset, posse assequi negaretur. Quare (2) ex monialibus duae adhuc viventes, et quae ideo *Dominae* titulo signabantur, quia sub s. Benedicti regula militabant, ad Pontificem de-

A. C. 1438

(1) Ita vocabatur ea regio prope Civitatis suburbium, *Fontenuova* nuncupatum, ad dexteram Potentiae fluvii citra pontem.

(2) Turchius

tulerunt incommoda ex ejusmodi concessione ab ipsis accipienda, aeque ac a Capitulo Lateranensi, in cujus solo templum *Divo Joanni Baptistae* sacrum surgebat. Eugenius igitur mandavit Antonio Cardinali Episcopo Ostiensi, ut omnem rem perquireret diligentissime; deinde, si juvare monachos s. Laurentii posset, adhibereque remedia, ne quid dispendii satis superque ex assiduis illorum temporum calamitatibus laesi perpaterentur, juvaret, curaretque rem omni studio, et diligentia. Sin autem non posset, Pontificem certiorem ipse faceret doceretque, quo pacto saltem Dominicianorum malis occurrere posset. Ipsi enim non verebantur, quin ea omnia, uti Eugenius volebat, de se amanter accurateque Antonius detulisset. Et reapse anteactae concessionis sensum seriemque omnem (1) Pontifex abrogans, idem illud, quod monachis Laurentianis datum tunc fuerat, auctoritate sua in Dominicianos nostros transtulit ita, ut monialium jus in coenobio sanctae Mariae libere resideret.

Conquestae apud Eugenium perquam sane graviter sunt moniales una cum Capitulo

(1) Ex hist. Septemp. Hieronymi Talpae 27. sept. 1439.

Lateranensi ea de causa; quod contra jus, contraque initas cum Canonicis pactiones res erat in primis: et id, quod acciderat, existimabant, praeter Pontificis voluntatem accidisse. Tum moleste ferens Eugenius, ejusmodi consilia concipi atque agitari posse; mandavit Auditori sacri palatii, ut rem quam celerrime conficeret, curaretque, ne quid ulterius Dominiciana gens detrimenti caperet. Antequam vero *Balthassar Caccialupus*, cujus diligens opera domesticis in rebus semper monialibus fuerat probata, sanctimonialium et Capituli (1) verbis liti nuncium remitteret; Eugenius singula pro tempore, uti res ferebat, consulto administrans adfuit Philippo abbati omnibus in rebus, et pro labentibus coenobii rebus validiori auxilio sublevandis commisit Joanni Binio abbati sanctae Mariae de Rotis in agro Mathilicensi, ut jura et census abbatiae sanctae Mariae *de Arabona* Laurentiano monasterio perpetuo addiceret. Prostant in episcopali tabulario nostro toto cum processu, ac examine literae, quas Eugenius hac de re scripserat anno 1438. VII. idus octobris sub da-

A. C. 1438

(1) Ex actis Antonii Petri 5. decem. 1439.

tum Ferrariae, ad quam ipse Bononia processerat de Graecorum ad Concilium adventu certior factus. Hinc obsequium Brunio abbati praestitit rector ecclesiae *s. Joannis de villa Jacusa in sindacatu castri Gislei* (nunc *Gaglioli*) *de districtu* (1) *Sanctiseverini*, et jus in illam sibi ac posteris perpetuum Philippus esse dixit.

Albertus de Albertis ex Canonico Metropolitanae Florentinae Episcopus Camerinensis, ac deinceps Cardinalis dictus, vir literis exquisite excultus, raraque in rebus tractandis dexteritate praeclarus, quique in Florentino Concilio (2) haud vulgarem operam impenderat, ut Graeca Ecclesia cum Latina aliquando coiret; egregiam in tuenda Philippi auctoritate curam posuit, ex quo eum a vice sacra (3) in universa dioecesi sua renunciavit. Ad haec idem Cardinalis Legatus Marchiae Anconitanae, Massae Trebariae, et Praesidatus Farfensis Philippo

---

(1) Ex rogitibus ejusdem notarii 4. junii 1438.
(2) Ughellius de Episc. Camerinen.
(3) Ex tabul. episcopali.

A. C. thesaurarii munus (1) collatum voluit. Ineunte 1459 anno 1459. Pius II. ad Mantuanam Synodum Roma discedens Senas, patriam urbem, concessit. Veluti in prima statione aliquot dies ibi moratus, suo cum diplomate III. kalendas martii obsignato (2) Philippo indulsit, ut mitra aliisque pontificalibus insigniis uteretur. Turbae maximae dein exortae sunt inter fisci curatorem, et ecclesiasticos viros nostros: nam eorum reditus mutui nomine intercipere ipse non dubitaverat. His auditis, Stephanus Brunius Prior ecclesiae nostrae, Valentinus plebanus s. Clementis, et Vicarellus Prior s. Pauli, dissidiorum, quae in oppido vigerent, mentionem injecere, quorum arbitrum Abbatem ipsum optarent. A. C. 1467 Optionem haud gravate recepit Philippus, omnique (3) ope curavit, ut anno 1467 partes inter se conciliaret. Supersunt adhuc literae, quibus rogatu Antonii e Camerino (4)

(1) Ex vetusto literarum codice — Clar. Leopardus: *Rettori della Marca.*

(2) Ex archivio capitulari.

(3) Ex eodem tabul.

(4) Consule acta Nicolai Ludovici sub ann. 1467. et 1474.

plebani s. Mariae de Bovigliano, et Gasparis abbatis Vallisfucinae, Romani Pontifices facultatem Philippo tribuere sacerdotia quaedam demandandi.

Sed non erant a nostris diversa illorum temporum ingenia, affectus, et vota; neque tanta sub monastica veste humilitas, et mundi contemptus vigebat, quin multi ad profana inhiarent. Philippi obitu vix secuto, res monachorum turbatae sunt. Opes direptae, infirmiores a potentioribus oppressi; et Philippum II. abbatem (1) per tumultum proclamarunt. Id cum cives aegre tulissent; legatis ad monachos congregationis Montis Oliveti destinatis, non coenobium modo, sed bona quoque (2) eisdem obtulere anno 1484. Hac tamen in re difficilem sese Pontifex praebuit: et ubi pax, quam per eos forte dies Columnenses, atque Ursini turbaverant, firmata est; monasterium Laurentianum una cum aliis s. Eustachii, et s. Mariae de Arabona in commendam ipse tribuit Joanni Jacobo Sclafenato Cardinali Parmensi.

A. C. 1484

(1) Ex rogitibus ejusdem Notarii 4. maii 1481.

(2) Ex lib. cons.

Huic primum studium fuit monachos conciliandi, pacisque publicae constituendae. Hinc novis suis juribus praefecit vicarium, quem misit ab urbe, quemque adeo impulit, ut Leonardo abbati inde sublecto, si quid moliri ausus esset, omni obsisteret ope. Vix alius Commendatariorum fuit munificentior, aut promptior in promerendis hominibus: monachos aluit, abbatem sumptu maximo excepit, *Cappellanos* avitis cellis dejectos fovit, et prioratum de *Camporaria* anno 1487 instauravit. Publicis quoque rebus (1) intentus monasterium Laurentianum a caeno situque vindicavit, Ecclesiam ipsam magna cura restituit. Caeterum haec ut praestaret, vectigalia haud nova excogitavit, vetera haud auxit, munera, quae gratuito antea probis viris demandari consueverant, haud exposuit venalia.

A. C. 1487

Mox ab Alexandro VI. Antonius Maria Pallavicinus ad hoc Sacerdotium delectus eadem respexit, quae egregie coaluerant, Cardinale Sclafenato impellente. Imo silentio praetereundum minime est, Abbatiae sacerdotia pro arbitrio Pallavicinum demandasse, et jurisdictionem

(1) Ex actis Bernardini Talpae.

in spiritualibus causis, ac mixtis per Manottum Vicarium exercuisse. Anno 1501 in Constantinum Dominici Priorem de *Camporaria* durum aliquid (1) ipse statuit, et cappellaniam s. Petri Nicolao cuidam adtribuit cum literis datis Perusiae, dum Umbriae legationem agebat. Hinc Gabriel Gabriellius Cardinalis, a Julio II. abbas conclamatus, totus fuit privatis abbatiae commodis procurandis. Imo nil prius habuit, quam ut Joannes Baptista de Sanctis Fanensis Vicarius, sacramento interposito, paraeciarum jura sarta tecta perpetuo ore polliceretur. Ita rerum ex animi sententia potitus, literas anno 1509 ad monachos dedit, eosque monuit, ut eadem jura in divi Laurentii (2) tuerentur.

A: C. 1501

C. A. 1509

Antonius Ciocchius de Monte Cardinalis mox fuit dictus abbas commendatarius. Ipse pro monachis saeculares presbyteros octo cum animarum curatore in Laurentiana aede instituit, confirmavit. Et dum multa ad tutelam aeque ac ornatum ecclesiae ipse moliebatur; anno 1526 die 5 julii circa aram principem

A. C. 1526

(1) Ex rogitibus ejusdem notarii.

(2) Ex antiquo privilegiorum libro.

divae Philumenae virginis manifestatio contigit. Clarissimam omni aevo foeminam, deque Septempedana Ecclesia optime meritam, decentioris honore tumuli dignam idem Cardinalis ratus; antiqua ex urna et loco translatum corpus, in altari sub ejus titulo, ac monumento lapideo a se exstructo, recondi jussit. Vitam ac res gestas divae Philumenae nullis literarum monumentis traditas inveni. Veteri tantum in urna prostabat scheda membranacea ex ejus collo dependens, quam hodie quoque servari vidi, et cui, quod dabimus in appendice, elogium erat inscriptum.

Maxima publici cultus significatione Philumenam prosequuti sunt Septempedani. Ipsi die 16 julii, et 11 augusti anni desuper allati binis honestioribus civibus oblationes commendarunt, quae *ad corpus divae Philumenae* (1) fiebant. Petrus Paulus Venantius Episcopus Æsinas, qui pro Armellino Mediceo Cardinali Marchiae Anconitanae procurationem gerebat, quique iis diebus (2) inter nos Curiam gene-

(1) Ex lib. refor. comm. nostrae.

(2) Ex lib. refor. 1562.

ralem posuerat, multa sane vidit, multaque fuit cum civibus de Philumena loqnutus. Haec rata habuit Paulus III., dum anno 1543 ad ejus aram venerabundus profectus digitum illius manus in devotionem accepit, quam anno 1634 Annae Columnae Antonius Barberinus Cardinalis, et Abbas commendatarius (1) dono dedit. Philumenae nomen primum relatum fuit in vetustissimum kalendarium Septempedanum, quod publici juris factum fuit per d. Christianopulum (2): mox in martyrologium romanum Plantinianae editionis, ut notat (3) Sollerius, sub die 5 julii: *apud Septempedanos in Piceno sanctae Philumenae virginis.* Addit Baronius in suis adnotationibus. *Hujus corpus honorifice asservatur apud Septempedanos, nunc Sanseverinates dictos, in Ecclesia s. Laurentii, quo Totilae regis gothorum tempore translatum fuit a s. Severino Episcopo, ut vetus inscriptio docet, quae una cum corpore reperta est sub majore altari anno domini* 1527, *cum illud in elegantiorem formam restitueretur*,

(1) *Avicenna ist. Cingolana.*

(2) S. Exup. *Appen. fol. XXXVII.*

(3) Acta SS. men. julii *tom.* 2.

Google

procurante Antonio S. R. E. Cardinale de Monte. Ultro darem Baronio annum 1527, nisi(1) publica monumenta ad annum 1526 id rejecissent. Nec vacat Baronianam adnotationem expendere, ne in longam, et inamoenam quaestionem dilabamur. Norunt eruditi, an literarum explicatio tam certa existimanda sit; an prisca scribendi formula iis temporibus conveniens videatur; an scheda ejusmodi concepta saeculo VI. scribi potuisset, in quo de familiarum cognominibus, ante saeculum X. incognitis, nedum (2) cogitatum fuerat; an tandem Clavellorum nobilis prosapia in voce *Clau* intelligenda sit, uti opinarunt nonnulli, quos carpserunt (3) Bullandiani, et Sollerius. Nobis hic sufficit Philumenam retulisse, quum praesertim prudens quisque acquiescendum sibi esse existimaturus sit sententiae datae a doctissimis viris, qui sunt Romae in consilio legitimis ritibus cognoscendis. Ii, singulis monumentis visis, et aequa lance ponderatis, apud Septem-

---

(1) Ex lib. ord. et decret. ab anno 1524. ad an. 1537.

(2) Consule Papebrochium in respon. *ad art. 3. ad num.* 72.

(3) Bulland. tom. 2. jul.

Digitized by Google

pedanos Philumenam ortum duxisse, pronuntiarunt. Cultum (1) ipsi ratum habuere, confirmaruntque; et, ut ejus festum cum officio et missa primum die 5 julii, mox Dominica prima ejusdem mensis in dioecesi nostra celebraretur, indulsere. In secundo etiam Paschatis Resurrectionis festo, lycnis accensis, ejus corpus populo spectandum, et colendum exhibetur, concionatore confertam apud multitudinem verba faciente de Philumena inter Septempedanorum patronos censita. Clemens VIII. ejus aram indulgentiarum (2) cumulo honestavit. Item Clemens XI. postea peregit (3). Qui alia scire cupit, auctores adeat, quorum nomina hic (4) damus.

---

(1) Ex decretis S. R. C. ann. 1732. 27. maii. et 1791. 6. augusti.

(2) Bernardus Gentilius — *mem. Septemp. mss.*

(3) Idem ibidem.

(4) Zacconius: *Vite di tutti i Santi* — Giattinus: *sermone in lode di Sanseverino, Roma per Corbelletti* 1646 — Razzius: *Vita delle donne illustri tom.* 4 — Sansovinus: *Origine delle famiglie illustri* — Brunius, Franchius, Jacobillus: *Santi dell' Umbria tom.* 1. Valerius Cancellottus: *ist. settemp. mss* — Ferrarius: *Catalogo dei santi d'Italia* — Joannes Baptista Cancellottus: *Vita di s. Severino lib.* 4. *cap.* 12. — *vita della pia Francesca cap.* 11 — Bernardus Gentilius: *dissert.*

Haec inter Cardinalis de Monte curavit, ut Ascanium Parisanum e Tolentino Abbatia Laurentiana, et Ecclesia Ariminensi Pontifex amplificaret. Nam Ascanium magnopere Cardinalis ipse diligebat; isque erat in ejus summis atque intimis familiaribus, homo graecis literis pereruditus, nostrarum non ignarus, omnium bonarum artium appetens, bonus plane vir, et Cardinalis jam conclamatus. Ascanius igitur anno 1545 die 20 Augusti jussit, ut ea animarum procuratio, quam Abbas Laurentianus in castro Pitini habebat, Antonio Jacobi addiceretur. Et quia nihil profecto erat, quod Julio Parisano publice non deberi Ascanius existimaret ; perquam diligenter effecit, ut mox Abbatem commendatarium apud nos Julius ageret. Is brevi intellexit, negotium per Berardum Bonjoannem Episcopum Camerinensem sibi parari in Abbatiae jurium exercitio, *nullius* primitus dictae. Nam, ne quid sibi aut damni, aut laboris inferretur, Berardus non solum ad Marchiae Anconitanae Praesi-

A. C. 1545

---

settemp — Avicenna: *memorie della città di Cingoli* — Lilius: *ist*: *Cam. part.* 1. Simon de Pyrinet: *catalogo dei santi*, *Tolosa* 1706. Turchius *Cam. sacr.* Pieragustinus *Syn. septemp.*

dem, verum etiam ad Romanae Rotae Auditores (1) provocavit. Sed Pius IV. cum literis datis Romae apud s. Marcum anno 1564 die 29 augusti Berardi offensam, atque illusam a Julio dignitatem vindicavit, legem ferendo, ut infra mensem Episcopus ipse Abbatiae visitationem perageret, in partem laboris accito, aut Antistite Asculano, aut Nucerino (2).

A. C. 1564

Ejusmodi pensum anno 1569 explevit (3) Berardus; et Petrus de Lunel episcopus Cayetanus, Pio V. jubente, mox idem (4) curavit. Hanc provinciam aggressus dein fuit Salvator Pacinius Clusinorum praesul anno 1573. die 17 maii. Sed Julius brevi magnam dedit ansam Berardo de se apud Pontificem iterum conquerendi. Nam dum episcopus ipse apud Poloniae regem prudentissima legatione pro Pontifice fungebatur; Julius, quanto majore potuerat studio, hortatus erat Paulum Ceronium Abbatiae Vicarium, ut, quae in juribus

A. C. 1569

---

(1) Coram Fantuccio.
(2) Ex tabul. episcop.
(3) Ex eodem tabulario.
(4) Ex lib. visit.

ablata ullo modo (1) erant, ea curaret, ut repararentur. Et sane omnia ipse posuit officia, ut in Laurentiana aede institueretur *tribunal*. Quamvis vero nec quicquam de ardore eam ob causam detraxisset Berardus, ut eam infirmaret; tamen morte praeventus rem infectam reliquit.

Omnem tum Julius cogitationem adhibuit, ut ne quid ab Alphonso Binarino, Episcopo inde sublecto, abbatiae jura acciperent incommodi. Quare ne ipse doceretur ab ullo, vir summa rerum experientia praeditus, voluit publicis in tabulis Abbas s. Mariae de Arabona, s. Laurentii in Doliolo, et s. Eustachii de Domora in posterum conclamari. Et ex eo fructus uberrimos se esse capturum Julius autumabat: nam ita primus abbatiae titulus, et jura in Maceratensi dioecesi reperirentur. Hac re Alphonsus commotus scripsit Gregorio XIII. ea, quae scribenda erant, quaeque Julius intellexit ab iis, qui Romae (2) advocationem episcopi substinebant anno 1580. Sed

A. C. 1580

(1) Ughellius de Episc. Camerin.
(2) Coram Robusterio.

obiit interea Alphonsus ; et, dum Hieronymus de Bobus, in Binarini sedem suffectus, dabat operam, ut, quanto celerius fieri posset, negotium transigeretur, Septempedana ecclesia a Camerinensi fuit evulsa.

Horatius Ceulus, Julio subrogatus, nihil eorum praetermisit, quae ad suam dignitatem tuendam pertinerent. Exploratum civibus puto esse, quo amore fuerint in Horatium Romani Pontifices, quamque illum, Antistitem urbanum, in arctam domus familiaritatem admiserint. Et, si anno 1606 etiam reliqua ipse pergebat persequi *coram Litta* eo animo atque ardore, quo coeperat Julius ; sciant posteri, eum ad primaeva de ecclesia Septempedana merita magnum novorum officiorum cumulum adjecisse. Nam, ubi nova arae principis Laurentianae forma, quae desiderabatur, confecta fuit ; Horatio nihil fuit prope antiquius, quam ut ara ipsa celeriter, et magnifice construeretur. Ut vero ejus dignitati, et nomini ipse consuleret ; movit animo sacra Hyppoliti, et Justini lipsana illuc transferre, quae eo in templo remotioribus saeculis servabantur.

A. C. 1606

Ex documento, quod dedimus sub anno 1300, nosse datur, vel longe ante saeculum

XIII. suum fuisse ss. Hyppolito, et Justino festum; et undeviginti episcopos indulgentias eo fuisse elargitos, ut hinc manifeste pateret, ab eisdem Sanctis festum in ecclesiam derivatum. Et revera, cultus eorum lipsanis in dioecesi nostra antiquitus tributi, laetor, indicia non obscura ipsis in tabulis translationis nactum me fuisse. Quare est statuere, utrum probabilis eorum opinio censeri queat, qui vel ante annum 1607 ss. Hyppoliti, et Justini loculum nostris incognitum fuisse opinantur. Caeterum mihi tenendum esse puto, ss. Hyppolitum, et Justinum, qui apud nos coluntur, sanctos esse quosdam e primis ecclesiae saeculis, qui mortem fecerint circa locum, qui in Dioeceseos nostrae ambitu continebatur. Constans enim est opinio, quae a majoribus ad nos traducta viget in Ecclesia Septempedana, ss. Hyppolitum, et Jústinum Septempedae ortos, ac Septempedae christianam religionem propria morte obsignasse.

A. C. 1607

Scimus, de ss. Hyppolito ac Justino martyribus Bedam, Usuardum, Adonem, et caeteros recentiores disseruisse. Scimus, eorum res gestas in actis s. Laurentii martyris fuisse intextas. Prudentius ex tribus Hyppolitis unum

fecit. Habetur perelegans sacer hymnus in breviario Toletano institutionis s. Isidori, quo Hyppoliti certamen describitur, et omnia quae passus est tormenta adnumerantur, illudque praecipue, cum ab equis indomitis raptatus atque discerptus dicitur, ad similitudinem antiquioris Hyppoliti Thesei filii, de quo Euripides in Phaedra. Nos non latet, Ludovicum Lazzarellum, qui saeculo XV. florebat, Euripidis ideas amplexum cecinisse, hunc s. Hyppolitum militem a divo Laurentio baptizatum, et a s. Justino presbytero in coemeterio s. Cyriacae sepultum, eumdem esse ac s. Hyppolitum, cujus corpus Septempedae in aede Laurentiana (1) asservatur. Sed quantum ipse a veritate aberraverit, aeque ac ii, qui de s. Justino presbytero idem inter nos scripserunt, facile quidem patet. Corpora ss. Hyppoliti militis, et Justini presbyteri alibi esse docent, qui de romanis ecclesiis disseruerunt. Non video igitur, quomodo eorum lipsana possint etiam Septempedae custodiri. Fatemur, corpora

(1) De Fastis lib. 9. apud I. Ranaldium.
Distractum Hyppoliti mea nunc Septempeda corpus
Laurenti servat, monstrat et aede sacra.

ss. Hyppoliti et Justini, Septempedanorum, valde fuisse imminuta, et facile suspicari posse, ea partim Romae, partim Septempedae coli. Sed quid dicemus de eorum capitibus longe ante translationem, de qua infra, in Laurentiana aede nostra servatis?

Anno 1607 die 4 aprilis Antonius Maria Gallus Cardinalis scripserat Ceulo Abbati, Paulo V. fore pergratum, si operam daret, ut ss. Hyppoliti, et Justini Septempedanorum lipsana tuto, atque celerrime in aram principem Laurentianam translata cives venerarentur. Quo melius vero, atque facilius explicaretur negotium, hortatus est (1) Ceulum, ut, si esset opus, auctoritate pontificia se juvaret. Is igitur die 3 mensis junii, honestioribus civibus septus, per Laurentianam aedem ad januam usque, *qua itur ad palatium abbatiae* processit, et detecta ex rudi lapide arca, quae haud procul a janua in Ecclesiae parietibus erat insuta, lapideo item operculo clausa, ferroque munita, eam aperuit, in qua erant sacra Hyppoliti, et Justini lipsana una cum lamina plumbea ita inscripta.

(1) Consule acta translationis,

HIC REq
VIESC
VNT CO
RPORĀS
CORVM I
POLITI . E
T IVSTIN
I . (1)

Capita minime erant in urna: et literarum forma haud gothica, uti opinarunt (2) nonnulli, non augustea, sed romana. Mox linteamine argenteo, floribus aureis et sericis circumducto, a Physicis diligenter inspecta idem Ceulus involvit: intra capsulam ligneam cypressinam ea condidit: capsulam rite clausit, obsignavit, deduxitque in sacrarium, ad diem VI. junii solemnioribus indictis (3).

Advenit dies majori pompae destinatus, et is quidem, opinor, incredibili serenitate perspicuus. Abbas in mitra, et chlamyde,

---

(1) Publici juris eam fecit Raphaelius in opere — *Memorie ecclesiastiche di Cingoli lib. 2. cap. 8.*

(2) Colutius *ant. pic. tom.* 4. — Bernardus Gentilius *dissert.* §. 37.

(3) Ex rogitibus Alexandri Noè.

universo sacerdotum ordine in tunicis, et magistratu in sagulis comitantibus, sacrarium ingreditur. Jam in templum laicorum, et sacrorum collegia convenerant. Solemnia alternantibus choris per urbem inchoantur. Nec multum inde sacra Hyppoliti, et Justini succedunt lipsana, capsula inclusa rubro serico damasceno obducta. Ante, et circum funalia feruntur. Promiscue gentium omnium honestissimi quique confluxerant. Tandem Ceulus ad aram maximam obvertitur, et, solemni facta precatione, sub eadem sacra deposuit corpora, et eisdem semper singularis honos habitus est (1).

Nemini deinceps in Horatium amando atque amplificando cessit Urbanus VIII. Ideo opibus et praesidiis cupiens eum quam munitissimum esse; suis cum literis privilegia Arabonensi coenobio a Caelestino III., et Honorio III. adtributa ipse firmavit, voluitque aliis ss. Laurentii, et Eustachii Sacerdotiis esse communia. Credebat enim Pontifex, Horatium novo eo in vulnere, episcopali jurisdictioni infligendo, non offensae cujuspiam, sed tantum-

(1) Ibi, et ex patriae monumentis.

modo pontificiae voluntatis (1) rationem habiturum.

Haud paulo post Horatio successor ab Urbano datur Antonius Barberinus Cardinalis, et nepos. Egit statim ipse cum Pontifice gravissimis querelis, cum se diceret intolerabilibus ab Episcopo Septempedano injuriis quotidie affici, qui jura ad Abbatem spectantia infringeret uti Apostolicus Delegatus, ruptis spretisque foederibus. Itaque precibus omnibus petiit Antonius, ut se ab Episcopo spoliatum ire ne permitteret. Urbanus aegerrime tulit, disceptationes ejusmodi inter eos exerceri, et anno 1641 in Abbates latissime (2) scripsit *cum facultatibus nullius*. Sed ubi mors abstulit Urbanum, et Antonio, praepropere in Galliam concedenti, Innocentius X. Nonantulanas, et Laurentianas fortunas intercepit; Episcopus noster rei bene gerendae occasionem nactus, non stari pactis *quoad paraecias* longa oratione disseruit, et Pontificis auxilium imploravit. Postquam vero Antonius in Romanae reipublicae

A. C. 1641

---

(1) Ex tabulario episcopali.

(2) *Alias pro parte* — Typis —

tutela a Pontifice fuit receptus, facere ipse non potuit, quin animo perturbaretur.

Sed conventionibus initis firmatisque, Maidalchinum Episcopum non acquiescere iis temporibus Antonius intellexit; imo inferri ab eo in se injurias magno cum abbatialis gentis non solum dedecore, verum etiam detrimento. Episcopus enim animarum procurationem in castro Pitini Nicolao Boantio adtribuerat, a pactis omnino recedens: quae cum Antonio essent permolesta, ab iis duodecim viris, qui Romae jus dicunt, anno 1660 obtinuit, ut Episcopus paci potius, quam dissidio studeret, praestaretque (1) eam, quam pepigerat, fidem. Tum vero, ut abbatiae incolumitati pro sui muneris officio ipse consuleret, vetustae membranae, diplomata, quae singulare aliquid boni ad id continere visa erant, ut ad urbem deducerentur, curavit.

A. C. 1660

Palutius Alterius Cardinalis Abbas renuntiatur anno 1675. In rebus urbanis ipse occupatus, in curam christianae reipublicae praesertim incubuit. Ædem tamen Laurentianam successione temporum laborantem adjuvit pe-

A. C. 1675

(1) Coram Bevilacqua.

cunia; et Nigrellio Episcopo, nonnulla (1) in jus molienti, obstitit anno 1682. Hinc Abbatiae honorem sibi delatum haud recusavit Laurentius Alterius Cardinalis. Is illud non ultimum fecit studium suum, ne annis 1699, et 1719 sibi fraudi (2) esset in juribus. At quia aequum plane erat, ut, qui ab Ecclesia Septempedana stipendia recipiebat, Ecclesiae moderatori, ejusque cathedrae aliquod tributum quotannis penderet; clericos modis omnibus abbatiae mancipatos Episcopus anno 1741 redegit in jus, animarum curatore Laurentiano tantum excepto (3).

A. C. 1682

A. C. 1699

1719

A. C. 1741

Haud multo post Raynerius Ilcius Cardinalis dignus fuit habitus, qui ad Abbatiae munus eligeretur. Sed Benedictus XIV. Episcopos nostros plurimis maximisque injuriis ab Abbatibus fuisse pressos satis cognoverat; ex quo ad acta curanda Senatus interpretis Sacri Concilii Tridentini fuerat provectus. Quare, ut damnis et offensionibus modum ipse statueret, anno 1748 Abbatis jurisdictionem (4) abrogavit.

A. C. 1748

(1) Ex arch. episc.

(2) Ex Synodo Pieragostini pag. 152.

(3) Ex tabulario episcopali.

(4) Consule partem primam.

Digitized by Google

Postquam vero Raynerius agere inter homines desiit, Paulus de Comitibus Cardinalis Abbas fuit salutatus. Ipse anno 1765 die 8 Martii emphyteoseos nomine agros, Abbatiarum qui fuerant, Monachis Cisterciensibus dedit. Iis singularia beneficia mox contulit Marius Marefuscus Cardinalis in Pauli locum suffectus; eosque, Pio VI. jubente, in Laurentiana aede anno 1778 constituit. Marefusco anno 1780 successit Joannes Octavius Mancinfortis Cardinalis. Sed brevi Cistercienses ejus mortem lacrymis prosecuti sunt. Cum Stephani Borgiae Cardinalis nomen in republica literaria celebraretur, isque esset Pio VI. charissimus, anno 1789 Abbas renuntiatus est. Michael de Petro Cardinalis post Borgiae decessum Abbas creatur anno 1806. Ubi mortem oppetiit et ipse, cum ipso defecerunt Abbates commendatarii. Quare hic calamum depono, et Cisterciensium res jam inde ab anno 1778 gestas iis scribendas relinquo, qui post me de Ecclesia Septempedana erunt acturi.

A. C. 1765

A. C. 1778

1780

A. C. 1789

A. C. 1806

§. II.

De Monasterio s. Michaelis Archangeli, seu s. Eustachii de Domora.

Saepius extra, quam intra civitates ipsas monasteria construebantur, ut aliqua solitudinis ratio haberetur pro Monachis ad solitudinem servandam, veluti instituto suo, obligatis. Ita inter beneficia, quae in publicam rem ex Monachorum institutione effluxere, non illud postremum fuit, delecta ab iis, aut concessa aliis saepe fuisse ad habitandum loca inhospita, inculta, ac ferarum cubilia, quae ipsi sensim, tum labore suarum manuum, tum colonis adscitis, summoque studio ad culturam instruxerunt. Fatendum quippe est, Monachos s. Michaelis Archangeli *de Domora* oppidi incolatui, in quo virtuti pericula multa ipsi pertimescebant, solitudinem anteposuisse.

Inter horridos recessus montium, qui angustam pandunt viam Camerinum versus super scopulos coenobium Monachi erexere, quod intra specus cavitatem sese protendebat. Satis amplum coenobio templum junxere, alto pa-

Digitized by Google

riter scopulo innixum, structura fortissima, quadratis oblongis lapidibus perpolite laboratum, quod pugnat adhuc et contra temporum injuriam, et custodientium inertiam. Haec tacite per se dicunt, Monachos eremitico more ibi vixisse, et ex cellulis in saxo excavatis pro Monachis inclusis, sive ex domunculis, coenobium sibi nomen vindicasse, seu, ut Mabillonius (1) scribit, *ex rivulo Domor, qui in Potentinum flumen decurrit.* Ipsa vero ecclesia s. Michaelis titulum etiam Eustachianum retinuit. Jura enim et bona, quae Romani Pontifices, Episcopi Camerinenses, aliique monasterio s. Michaelis donarunt, eadem sunt ac illa, quae juris fuere Abbatiae *s. Eustachii*, ut infra innotescet. Ne actum igitur agere videar, in iis indiscriminatim consistam, quae ss. Michaelis, et Eustachii jura respiciunt.

Ecclesiam Domini sub Michaelis Archangeli tutela semper extitisse, Patriarcharum, Prophetarumque frequentes apparitiones testantur. Quare ipsa in gratiarum tesseram sancivit, ut fideles eum, veluti Principem aulae caelestis, Dei Administrum, hominum Media-

(1) Ann. vol. 6. pag. 381.

torem et Praepositum, peculiari cultu venerarentur; ex quo praesertim Roma Gothorum jugum accepit anno a Virginis partu 485. Per id enim tempus Michael templum in Gargani vertice, qui Apuliae mons est, illustri miraculo sibi adscivit, inde velut ex arce praesidium oppressae laturus Italiae. Et Zeno quidem imperator, tanti mali parens, brevi poenas exsolvit: nec laetior Honorici Vandalorum regis exitus fuit. Hinc magnus Monachorum pater, Benedictus, sub anno circiter 492 eremum petens, sanctioris vitae fundamenta feliciter jecit, et pia postmodum in Archangelum veneratione se suosque reddidit celeberrimos. Jure itaque ac merito etiam apud nostros eluxit in sacris Benedictinorum aedibus, et alibi, Michaelis cultus eximius, iis praesertim saeculis Ecclesiae difficillimis, in quibus barbaricae gentes de ea funditus evertenda cogitabant. Plena hujus rei sunt diplomata nostra: extant adhuc in universo agro nostro aedes sacrae in Archangeli honorem, et ad illius cultum a Monachis plerumque erectae, inter quas, (1) sae-

A. C. 485

A. C. 492

(1) Riccius — *Arti, ed Artisti della Marca di Ancona tom. 1. pag.* 16.

culo VIII. exeunte, illa s. Michaelis de Domora principem locum tenuit, uti Severinus Servantius-Collius comes suo in commentario perbelle (1) disseruit (2).

---

(1) *Culto antico dei Settempedani verso l' arcangelo S. Michele* — Maceratae.

(2) Nostratium rerum cultoribus non latent, ant excusae antiquitus, et in cives vulgatae Archangeli Michaelis effigies, aut patrata ipsius praesidio et ope portenta. Sacrificii etiam incruenti oblationem Deo remotioribus saeculis factam eidem Michaeli honorando docet, ut alia omittam, sacramentarius codex noster Suaviciniensis duobus tegumentis argenteis mire elaboratis coopertus, in quibus conspiciuntur Angelorum Apostolorumque imagines cum lemmatibus Graecis. Ad usum ipse fuerat Divi Petri Damiani, ac ab eodem postmodum, uti fertur, dono datus s. Dominico Loricato ad usum Suaviciniensis monasterii, seu eremi. In Divae Annae castri Frontalis paraeciali Ecclesia Liber sub episcopalibus signis clausus servatur. Codex est membranaceus, et omnino integer, in quo continentur Praefationes, Missarum orationes, Canon ad consecrationem, aliaeque preces, dignus propterea, ut inter nobiliora diptycha recenseatur. Eum Octavius Turchius, canonicus Pyranus, vir summo ingenio, singularique harum praecipue rerum scientia praestans, primus omnium edidit (*Venetiis*) illustravitque. Certum insuper, hunc sacramentorum Librum totum esse monasticum, et ad Benedictinos spectare, tum ob ipsam s. Benedicti Missam, et ob peculiarem in ejus transitu praefationem, tum ob geminas orationes *in ordine ad induendum monachum*, et ob

Frustra tamen saeculis, quae XI. antecedunt, documentum ullum, quod monasterium de Domora respiciat, conquisivi. Erant anti-

---

litanias, in quibus plures s. Monachi Benedictini invocantur. Festus dies s. Michaelis refertur ad III. kalendas octobris, qua die de Dedicatione Ecclesiae ipsius in monte Gargano universaliter agitur. Duae hujus Missae orationes diriguntur ad omnes Angelos, oratio postrema ad omnes Archangelos, praefatio Sanctum dumtaxat Michaelem Angelorum Principem respicit. Ut vero ad majorem Michaelis venerationem civium corda magis magisque accenderentur, Nicolaus IV. suis cum literis latis anno 1292. V. kalendas martii (*ex Arch. Cap.*) peculiares indulgentias in ejus honorem fuit elargitus. Idipsum anno 1300. fecerunt Episcopi quamplures in sacrae Laurentianae aedis inauguratione. Concessum fuit etiam civibus, ut Michaelem colerent ad diem, qui ei est sacer in mense majo, idque actum fuit longe ante saeculum XV. (— *consule statutum confectum anno* 1426.) Antiquum insuper esse cultum Michaelis in Ecclesia nostra ostendunt acta (*ex lib. com.* 1534.) per scribam publicum exarata. Totus fuit etiam hac in re procuranda (*Ordini et Editti di Mons. Marziario Vescovo di Sanseverino — Camerini* 1587.) Episcopus Martiarius et Antistites inde sublecti perquam sane diligenter curarunt, ne labentibus annis haec devotio languesceret. Imo, ut nihil ad animarum bonum reliqui faceret Episcopus Ranghiascius, Pontificem exoravit, ut officium et Missam septem Angelorum per totam hanc Dioecesim extendere dignaretur: (*Epistolae postulatoriae pro cultu septem Angelorum. Romae anno* 1830. *typis R. C. A.*)

Digitized by Google

quitus, qui ad monasteria ditanda passim fortunas suas conferebant, quique extra etiam claustra viventes Monachos, quoquo poterant modo, honestabant. Hujus moris exempla multa proferunt eruditi; et nos legimus, Grimaldum et Amelgardam conjuges Petro Abbati *de monasterio s. Michaelis, quod vocatur de Domora*, cessisse *medietatem de ecclesia s. Crucis, quae est in fundo* (1) *Macerata* cum bonis anno 1086.

A. C. 1086

A. C. 1092

Mox ab Ugone Episcopo Camerinensi anno 1092. Abbates s. Michaelis aucti sunt *ecclesia s. Petri, quae est aedificata in summo Serripulae* (2) *cum decima, et primitia, et oblatione mortuorum et vivorum, excepto Synodo.* Sed Laurentius Episcopus Camerinensis anno 1103. Petrum Abbatem *in eremo, quae vocatur Domora*, insigniori beneficio cumulavit. Ei enim concessit (3) *plebem s. Zenonis* (hodie s. Mariae plebis *Selvalagli*) ecclesiam *s. Helenae, et s. Petri de Gaolano cum synodo, et synodali hospitio.*

A. C. 1103

(1) Compagnon. reg. pic. lib. 1. par. 1.

(2) Ex pluteis curiae episcopalis.

(3) Turchius Cam. sacr.

Non deerant olim ecclesiastici viri, nec praesertim Episcopi, qui decimas aut venderent, aut donarent, permutarentve. Imo Episcopi, Abbates dum ecclesiae necessitate premebantur, locupletiora illius bona emphytheoseos nomine potentioribus viris assignabant, qui ecclesiae causam (1) strenue apud Principes agerent, omnesque susciperent partes, perbrevi censu quotannis soluto. Idem cum Warnerio Marchione, et Altrude Comitissa, ac Warnerio filio Laurentius Episcopus honestissime fecit anno 1119. Eis enim *ad tertiam generationem pro uno Bizantino monasterium de Domora concessit* (2). Quid postea fecerit *Albericus vir venerabilis, Abbas monasterii de Domora*, a Mabillonio sub anno 1123 relatus, incomperta omnino (3) res est. Sed quae Episcopi Camerinenses, aliique mox praestiterunt officia amoris in Monachos, diligentiaeque plenissima, ea multo maxime et grata, et jucunda nobis invenisse acciderunt.

A. C. 1119

A. C. 1123

(1) Chron. Vultur., et Farfen. rer. Ital.

(2) Ex tab. Capit.

(3) Ann. vol. 6. lib. 78.

A. C. 1131 Extat Attonis, aliorumque diploma datum anno 1131. Warnerio et Friderico Marchionibus. In eo Petro Abbati s. Angeli, et s. Eustachii de Domora addicitur *portio ecclesiae s. Petri in summo* (1) *Serripulae.* Monumenta illorum temporum manu versans non semel inveni, necessitudinem quamdam Episcopis Camerinensibus intercessisse cum iis, qui in Marchia Anconitana dominabantur, ut alter alterius gratiam pro Monachis aucuparetur. Anno
A. C. 1146 1146. Theodinus Episcopus dono dedit Abbati de Domora *totam curtem, quae attinet ipsi eremo cum terris, vineis, sylvis ad utilitatem s. Angeli propter vitam Monachorum, sive eremitarum.* Quod si *voluerint Abbas et Monachi, habeant licentiam* (2) *ipsius congregationis Priorem eligere secundum regulam s. Benedicti.*

Haec Monachorum et eremitarum societas in eodem coenobio, et praesertim in agro Camerinensi, videtur propago monachorum et eremitarum, quos tunc reformaverat s. Romualdus, qui prope monasteria eremos, et prope

(1) Ex tabulario episcopali.
(2) Ann. camal. vol. 3. lib. 29.

eremos monasteria condere consueverat. Nam in synopsi rerum a s. Romualdo gestarum conjicit Turchius, Romualdum inter alios reformasse Monachos s. Eustachii de Domora, et, ipsius suasionibus, Attonem comitem et uxorem Bertam comitissam dotasse coenobium *s. Michaelis infra Ostia* in agro s. Anatoliae. Anno desuper allato, ait (1) Mabillonius, *tempore W.*, idest Warnerii ducis et marchionis, *Theodinus Camerinensis Episcopus donavit coenobio s. Michaelis, quod est aedificatum eo loco, qui Domorum vocatur, et Petro Abbati ejus loci tertio, et monachis Deo ibidem servientibus terras cum vineis, et sylvis.* Camerinius in additionibus ad Lilii historiam retulit unitionem plurium ecclesiarum factam ab eodem Theodino coenobio s. Michaelis de Domora anno 1166. A. C. 1166

Ut vero illud solemne videretur, qui hujus Monasterii gubernaculis esset admovendus, eumdem toti jurisdictioni, quae late patebat, praefici oportere; *Acceptans* Episcopus Camerinensis (2) anno 1171 confirmavit Abbatibus A. C. 1171

(1) Ann. vol. 6.
(2) Turchius Cam. sacr.

de Domora *totam curiam*, *quae attinet ipsi eremo cum terris*, *vineis*, *sylvis*, aliisque juribus, et inter haec rursum concessit plebem s. Zenonis cum quindecim ecclesiis (1) huic plebi mancipatis. Hanc monachorum curam expostulantium confirmationem jurium vel a Principibus, vel ab Episcopis, pluries per haec tempora animadvertimus factam. Id in Acceptantis diplomate, id in hoc mox afferendo sane evenit. Nam Caelestinus III. cum literis datis apud Lateranum V. kalendas aprilis anno 1194 Raynaldo Abbati de Domora bona, privilegia, et immunitates confirmavit *cum ecclesiis* (2) *s. Helenae*, *s. Petri de Serripula*, *s. Antimi de Saxo*, *s. Viti*, *plebem s. Zenonis*, *ecclesiam s. Nicolai de Plano*, *et s. Salvatoris Colpestritis*: Imo non levis beneficii loco haberi posse videtur, anno 1256 die 13 octo-

A. C. 1256

(1) Nomina haec sunt. *S. Barbara de Collina*, *s. Clara de Crisperio*, *s. Stephanus de Turricella*, *s. Paternianus de Montesco*, *s. Angelus de Avorna*, *s. Michael de Gallia*, *s. Maria de Ancajanu*, *s. Laurentius de Palazzuolo*, *s. Petrus de Gallia*, *s. Laurentius et s. Maria de Usciano*, *s. Apollinaris de Cella*, *s. Maria de Macchia*, *s. Helena de Collina*, *et s. Vitus de* ....

(2) Ex archivio episcopali.

bris *causa hospitalitatis servandae* Guillelmum Episcopum Camerinensem monachis (1) concessisse quidquid erat *synodici*, quod sibi Antistites, ut desuper, reservaverant. Hospitalitatis erat praecipua monachorum cura, uti etiam animadvertit (2) Muratorius; et hanc hospitalitatem ibi satagebant monachi magis excolere, ubi impervium magis erat iter, et difficile. Nam ferreis vel illis saeculis peregrinantium longe majorem copiam fuisse, quam nostris temporibus, Walafridus Strabo *in vita s. Galli* luculentissime probat. Hinc nullum fere monasterium pingue erat, cui adnexa non foret hospitalis domus, in quam divertebant peregrini, et pauperes pascendi. Imo in Concilio Aquisgranensi I. et II. id pro lege constitutum fuit. Hospitum curam sibi potissimum vindicarunt Romani Pontifices, caeterique Episcopi, quibus et christiana virtus, et sui muneris cura cordi erant praecipue. Haec habemus in annalibus Baronianis, et passim in tribus Libris Antonii Bosii *de Roma subterranea*, quos Bosius ipse moriens imperfectos re-

(1) Ex rogitibus Offredutii.

(2) Muratorius antiq. med. aevi.

liquerat, quosque absolvit Joannes Severanus civis noster, et Romae typis publicavit, adjecitque de suo Librum IV., et in eo plurimas antiquitates sacras docte et curiose explicavit. In hoc ipso charitatis officio cum aliis inter nostros Monachos certasse scimus Benedictinorum coenobium s. Michaelis de Domora. Nec sane mirum: imo christiana misericordia suadebat, ut eo in difficili loco praesidium egenis pararetur. Nam antiquis illis temporibus rariores, quam nunc, in montibus numerabantur domus; et contra ibi inhospiti saltus, ac sylvae abundabant. Quare majoribus nostris mos olim fuit hospitales hasce aedes in peregrinorum subsidium condere, ubi fluvii sine ponte, et juga montium erant superanda. Ac propterea Ludovicus II. Augustus in Capitulari spectante ad annum Christi 855. Legatos et ipse per Italiae regnum direxit, Abbatibus eam in rem praesertim delectis. Id factum constat eodem saeculo, quo Amicus Riccius eques scitissime scripsit, ex iis quae supersunt, s. Michaelis de Domora templum fuisse excitatum.

Ex scheda a Compagnonio (1) evulgata

(1) Reg. Pic. par. 1. lib. 3.

certior sum factus, *Benem priorem ecclesiae* A. C. *s. Salvatoris de Macerata* anno 1263 die 10 1263 octobris ex voluntate *Entendis Abbatis Domorum*, Benvenuti de Militiano, et *Attonis Monachorum* libellario nomine plateam quamdam *Angelo Zaptone* dedisse. Ad Abbatis dignita- A. C. tem evectus erat anno 1294 Thodinus. Audi- 1294 verat ipse, fructus ecclesiae *s. Antimi de Saxo* ullorum hominum cupiditate turbari, divexarique. Et quia Thodini ea mens erat, is animus, ut res brevi conciliaretur; hortatus est Joannem, quem *per pannos altaris*, *et januas ecclesiae* die 23 Julii anni mox relati illius ecclesiae (1) curatorem dixerat, ut hanc suam voluntatem, quoquo posset modo, ipse juvaret. Nam Principes in Italia viri tum ardentius contra pacem cogitabant, et arma ab iis comparabantur, quibus monachorum ditiones praesertim aggrederentur. Neque animis tamen ceciderunt Abbates, quandocumque pro juribus fuit decertandum.

Hardinates abbas s. Eustachii *de Domoris* A. C. anno 1298 die 27 Junii diris quosdam devo- 1298

(1) Ex rogitibus Ugolini Boniscentis.

vit, quia plebi s. Zenonis (1) violentiam intulerant. Virulento calamo literas *Maceratae* exaratas in *ecclesia s. Salvatoris* ipse vulgavit, et cappellanis s. Petri Serripulae, et s. Viti mandavit, ut Ecclesiae (2) hostes in ordinem redigerent. In iis enim cappellis interdum Conversus unus, aut Monachus unus habitare consueverat, sed saepius unus Prior, et aliquot interdum sub eo monachi. Hinc prioratus appellatae eaedem cappellae, uti ex Cassiano, Hyeronimo, aliisque vetustis scriptoribus discere licet. Et hic sane jucundum sit illud nosse, ex amplo, quo monachi s. Eustachii adhuc fruebantur, patrimonio tantum relictum, unde vitam alerent, ac impositam coloniam cum dignitate sustinerent in coenobio s. Nicolai extra moenia nostra, quod desuper membrum (3) Abbatiae denunciavi, quodque animarum procurationem habebat.

Cum Thodinus Abbas pluribus de causis Malpilum, Rynaldutium et Jacobutium domi-

---

(1) Ex tabulario episcopali.

(2) Ibi.

(3) Ann. Camal.

nos castri Pitini alloqui magnopere cuperet; internuncium suum anno 1305 die 16 novembris Leonardum presbyterum ad eos misit, eosque valde fuit hortatus, ut ad oppidum venirent, ut posset cum illis agere, quae volebat. Erat Abbati vehementer gratum jurgia aeque noxia ac diuturna omnino auferre, quae rectores ecclesiarum *ss. Savini*, *Jacobi*, *Christophori*, *Mariae*, *et Michaelis* extra castrum Pitini satis exercuerant. Et quidem eo in discrimine versantem Thodinum Malpilus, Rynaldutius, et Jacobutius suppetiis juverunt. Nam Abbas, ecclesias ad monasterium de Domora spectare, voce ac scripto professus est, et de unienda ecclesia *s. Januarii* consilium cum eisdem dominis communicavit. Rem gestam Ugolinus Boniscentis complexus est tabulis datis *in ecclesia s. Nicolai*, *ubi praedictus abbas et monachi continuam residentiam habebant* (1).

A. C. 1305

Caesares exinde in Italiam properantes obvios ubique habebant Gibellinos. Horum pollicitationibus Augusti permoti adversae factionis homines urbesque exactionibus vexare,

---

(1) Turchius Cam. sacr. et ex tab. cap.

calumniis circumvenire, jugo premere diu tyrannice instituerunt. Injuriis intolerandis ab eorum asseclis saepe saepius et monachi de Domora lacessiti. Ipsi crebras inter cives pugnas, miserabiles in oppido caedes, a milite suburbanis diram vastitatem illatam videntes, proximum monasterii occasum plorabant. Et quamvis anno 1378 coenobii res (1) Thaddaeus Bartholutii Abbas credidisset fidei Nicolai Bessae, Colae Amatutii, et Annibaldi Colae; et ipsi idcirco adversus injuriam omnem mutuo sese foedere armassent: tamen, auctore Eustachio abbate s. Laurentii in Doliolo, haud aegre quidem persuaderi sibi permisit Franciscus Abbas, Thaddaeo sublectus, ut anno 1393 legationem ad Bonifacium IX. ad id instituerет, qui Assisium convenerat. Igitur multis ultro citroque in commune collatis, Kalendis Septembris transactum fuit his legibus inter monachos s. Eustachii, et s. Laurentii: Abbatiam de Domora sibi a monachis electoribus collatam in Abbatem *de Doliolo* Franciscus transferret: seque adeo universo jure in Abbatiam de Domora exueret: Abbatiae ne-

A. C. 1378

A. C. 1393

(1) Ex rogitibus Jacobi Philippi 13. februarii.

gotia, Francisco vivente, Abbas Laurentianus non susciperet: Damna monasteriis a bellorum impressione illata mutuo repararentur: nec eorum nomine agere liceret: Monachi utriusque gentis haec eadem pacta rata haberent. His confectis, Legati cum diplomate a Pontifice sunt dimissi. Hinc apud aedem Laurentianam monachi, agente Nutio Episcopo Camerinensi, die 10 septembris (1) coacti eam in sententiam venere. Quae postea sequuta sunt, nequaquam a me investiganda esse duxi: propterea quod, quae ad hanc rem facere videntur, conjuncta quidem sunt cum iis, quae superius dixi in chronotaxi Laurentiana. Unum est addendum, cultum ecclesiae s. Eustachii usque ad annum 1701 fuisse delatum ab universo Clero abbatiali s. Laurentii, qui se illuc diebus 20 maji, et 20 septembris, sublata cruce, conferebat (2).

---

(1) Ex pluteis Curiae Episcopalis.
(2) Ex eodem loco.

§. III.

De monasterio s. Flaviani, seu s. Mariae de Arabona.

Non in montibus tantum, et non longe a paludibus, sed etiam aliis in locis monasteria olim condebantur, e quibus nonnulla prae caeteris insignia, procedente tempore, concurrentibus illic finitimis hominibus, atque ibi domos construentibus, sensim evasere magnifica oppida, etiam in Episcopatum conversa. Sed ea potissimum fuerunt ditissima, quibus initium dederat quispiam, aut nobilitate generis, aut sanctitate vitae, perspicuus. Fundatoris enim virtus, qui lares ibi plerumque figebat, sui nominis celebritate piae gentis oblationes crebras, et ingentem discipulorum atque sodalium copiam ad se trahebat. Ageltrudes filia Adelchisii (1) principis Beneventani Arabonense

---

(1) Dufresne in sylloge scrip. Franc. vol. 2.

Digitized by Google

coenobium ex illustrioribus Picentinae provinciae apud Pollentiam, hodie Montem Milonis, fundavit. Divo Flaviano dicatum voluit, uti Philippus Bonarrotius, ac Donatus (1) scribunt. Illud suo satis nomine celeberrimum memoratur a Gerardo Mercatore, Maginio, Pamphilo, Severano, Ferrario (2), aliisque. Ut vero non uno nomine optime de monasterio isto merita Ageltrudes esse videretur; quamplures suppetias ei tulit, utpote erat de alio, quod ipsa in Æsino comitatu sub titulo s. Eutichii (3) erexerat. Quare mirum non est, si nequaquam alio divelli patiar, nisi prius caetera sim prosequutus, quae Arabonensis coenobii, licet extra dioecesim nostram jacentis, historiam proferant ad totum saeculum XV., omnino junctam cum rebus ad monasteria s. Laurentii in Doliolo, et s. Eustachii de Domora pertinentibus.

Italici Principes, deficiente aut ad inertiam degenerante Caroli Magni stirpe, de im-

---

(1) *Dittici antichi sacri, e profani. Lucca* 1753.

(2) *Nuovo atlante — Tav. della Marca d' Ancona —* De laud. Pic. lib. 2. — De pretiosa morte justorum — *Catalogo generale dei Santi.*

(3) Muratorius antiq. ital. med. aevi vol. 5.

perio invicem contendebant. Vido, seu Guido Spoleti dux, et Ageltrudis vir, a Formoso Pontifice coronam acceperat imperii. Sed Berengarius Forojuliensis dux imperium quoque ambiebat, et res inter ambos ad arma deducebatur. Victus a Vidone Berengarius ad Arnulphum Germaniae regem recurrebat, cujus adventu Roma a Germanis capiebatur. In Germaniam reversus Arnulphus pediculari morbo interierat; et ejus filium Ludovicum proceres Germani evexerant ad imperium. At in Italia Vido moriens Lamberto Ageltrudis filio successionem detulerat imperii. Dum istiusmodi Italorum de imperio concertationes Italiam perpetuis civilibus bellis dilacerabant; Ageltrudes, haud mora, curaverat, ut Berengarius Arabonensis coenobii jura rata haberet cum diplomate anno 898. kalendis decembris obsignato, quod Bacchinius in tabulario majoris Ecclesiae Parmensis (1) detexit, et Bonarrotio commu-

A. C. 898

(1) *Data kal. decembris anno Incarn. Domini N. J. C. 898. anno vero regni Berengarii gloriosissimi regis XI. per indictionem 2. Actum Civitatis regiae in Dei nomine feliciter.*

nicavit. Primus monasterii moderator fuit (1) Ouldericus. Quae ipse egerit, quo potissimum anno ex corporis vinculis fuerit evocatus, in nullis datum invenire literarum monumentis. Monasticen ibi S. Amicus professus: mox Abbas conclamatus: ibi ad superos migravit, et sacrae ejus exuviae hodiedum debito honore in Ecclesiae cryptis coluntur.

De s. Amico *Rambonense* miraculis coruscante, et absque solemni ritu in sanctorum numerum relato antiqui meminerunt scriptores; e recentioribus vero (2) Muratorius. *Vita*, ipse ait, *s. Amici confessoris*, *quam Bernardus scripsit*, *inter nostra monumenta mss. hactenus inedita servatur*. *Incipit*: *Beatus Amicus genere nobili ortus in finibus comitatus*: *locus*, *in quo natus*, *Arabona in Piceno apud Montem Milonem nuncupatur* . . . . . *multis clarus miraculis fuit*. S. Petrus Damianus in opusculo sexto ad Henricum Ravennatem Episcopum habet: *Nostra aetate Romualdus Camerinensis*, *Amicus Rambonensis*, *Gui-*

(1) Ex dypticho a Bonarrotio evulgato.
(2) Rer. ital. scrip. vol. 6.

do Pomposianus, *Firmanus Firmensis*, *et quamplures alii sanctae conversationis studio floruerunt*. Si haec Damianus de Amico anno 1052 scribebat; dicendum, saeculo X. ad exitum properante, eum agere inter monachos desiisse, quos, ex Amici conversatione sanctissima, ex summo Oulderici, ac Ageltrudis studio ad monasticae vitae integritatem impulsos, nunquam credam cum Turchio (1) circa annum 1006 a divo Romualdo reformatos fuisse. Amicum, haud multo post ejus obitum in sanctorum album eo tantum ritu esse relatum, qui tunc erat in usu; nempe ut petentibus concederet Apostolica Sedes super corpus ejus altare construere, idem Petrus Damianus (2) affirmat. Baronius inter Sanctos in Italia miraculis coruscantes (3) Amicum *Ramboniensem* commemorat. Festum s. Amici consignatum fuit

A. C. 1052

(1) Cam. sac. — Prima s. Romualdi statio in solitudine Vallis-Castri in provincia Camerinensi fuit, quando, relicta Bifurci solitudine, missisque *ad Comites provinciae Camerinae* nunciis, illam impetravit circa annum 1006. — Ann. Camald. vol. 1. lib. 7.

(2) Opus. 6. ad Hen. Ravennatem Episcopum.

(3) Ann. vol. 10. ad annum 993. vol. 11. ad ann. 1027.

antiquitus in Kalendario Fabrianense (1) apud Sartium, in Septempedano (2) apud Christianopulum, et in eo, quod publici juris (3) fecit Catalanus: *IV nonas novembris s. Amici confessoris.* De s. Amico multa adnotavit (4) Jacobillus: congessit plura (5) Ferrarius, qui asseruit, eumdem esse Amicum Avellanensem, et Rambonensem, dum Bernardus item Cassinensem dixit Avellanensem. At Severanus, (6) diversos ambos, putandum scripsit. *Istius Cassinensis corpus, ipse ait, in ecclesia s. Petri de Avellana in Umbria publice colitur: illius vero in Rambonense aede in Piceno. Cum hic ante Petrum Damianum, qui obiit anno Domini* 1072, *floruerit, et a Petro diacono Cassinensi, qui claruit circa annum* 1125, *in catalogo Sanctorum Cassinensium non reponatur, dicendum videtur, illum non fuisse monachum Cassinensem, quem certe Petrus*

(1) De Episcopis Eugubinis cap. 8.
(2) S. Exup. append.
(3) De Ecclesia Firmana.
(4) Vol. 3.
(5) Cat. ss. die 2. novembris.
(6) De pretiosa morte justorum.

non praeteriisset: Alterum vero (quem Bernardus Cassinensem appellat) eadem ratione cogimur dicere, longe post Rambonensem, et ipsum quoque Petrum diaconum claruisse: cum idem Petrus nec ejus meminerit, quamvis sanctitate et miraculis celeberrimi. Jacet ejus corpus in lapideo sarcophago conditum, quem anno 1510 incolae Montis Milonis (1) faciendum curarunt. Ii Amicum contribulem suum illustri exornant elogio: et crebra ad ejus tumulum divinitus patrantur miracula.

A. C. 1510

Anno a partu Virginis millesimo jam exacto, exitiale nomini christiano Turcicum regnum extitit. Alphasal Sultanus graecas opes invasit armis, et, ab Hellesponto orsus, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Pamphiliam, Lyciam, Lycaoniam, Cappadociam, Asiam, Syriam, ipsamque Hierosolymam subegit. Urbanus II. Pontifex Christianos Reges ad sacrum bellum accendit, Principibus, Episcopis, Abbatibus in Asiam profectis. En ratio, ni fallor, cur passim hoc saeculo a monachorum agiologis multa Abbatum nomina desideren-

(1) Ex lib. refor. 1510. 1511.

tur, et cur nos frustra quaeramus Amici successorem. Ineunte tamen anno 1045 nos non latet, Bernardum filium Othonis comitis (1) quosdam agros *in fundo Plece juxta fluvium Flastra monasterio s. Michaelis* vendidisse, quod *s. Flaviani membrum* dicitur, quodque apud Genesinos claruisse docet (2) Benignius. Hinc Gislerii Abbatis Arabonensis mentio est apud Mabillonium: *Apud Italos in Piceno*, ait, *haud procul Tolentino extabat per id tempus s. Flaviani monasterium juxta locum, qui dicitur* (3) *Rambona, quo Rambonense monasterium dictum est. Ei tunc praeerat Gislerius Abbas, cui Adelbrandus quidam filius Adelbrandi, et Adelberga ipsius conjux anno 1096 quamdam s. Mariae in sylva ecclesiam sitam in agro Auximanensi contulerunt.* Sed Ughellius, (4) qui Vaticanos codices perquisivit, monet, ecclesiam s. Mariae in sylva, aedificatam ab Adelberto Ajani domino anno 1042,

A. C. 1045

A. C. 1096

(1) Tabulae prostant in biblioth. Barberina sub Codice 2778. Eas retulit Compagnonius in sua regia picena.

(2) Sanginesio illustr.

(3) Annal. lib. 66. vol. 5.

(4) De Epis. Cam.

sancti Petri, et Romani Pontificis juris esse; quam Urbanus II. anno 1096 concessit, et *univit* Gislerio Abbati Arabonensi. De Adelberto autem in vetustis chartis legitur, quod, cum sine liberis esset, anno 1082 cum Adelberga uxore sua castrum Ajani cum bonis et pertinentiis suis dono dederit ecclesiae s. Leopardi Auximi, et Episcopo (1) illius civitatis.

Gislerii successorem (2) Mabillonius vocat Albertum. *Albertus anno* 1103 *Rambonae Abbas erat.* Mox Angeli Giberti nomen prodit. Editus est in lucem apud Genesinos (3) ex veteri Gibertorum familia nobilitate clara. Quantum ipse, in Gislerii locum suffectus, gesserit, haec inter alia declarant. Allatum erat ad Angelum, multas quotidie contentiones inter Abbatem de Flastra, et Praepositum s. Petri de Insula exerceri. Quod cum Angelo permolestum esset, petiit ab eis, darent operam, ut ejusmodi jurgia reprimerentur. Et revera id ipsi

(1) Vide, quae de castro Ajani scripserunt Faustus Moronus, Abbas Zaccaria in serie Episcoporum Aux., et consule *mem. histor. crit. eccl.*, *et Epis. Aux.*

(2) Ann. loc. cit.

(3) *Sanginesio illustrat.*

tandem fecerunt, quod ab eorum virtute postulabatur. Nam in Thodini Episcopi Camerinensis, et Angeli Abbatis curam recepti anno 1147 rem ex composito (1) perfecerunt. Mox de communi monachorum consensu, pro ipsius Abbatis de Flastra dignitate tuenda juribusque ampliandis, vires suas libentissime profudit Angelus. Nam Cisterciensium Abbati, inibi moram trahenti, dono dedit Angelus ecclesiam s. Mariae in sylva Arabonénsi coenobio ab Urbano II., ut desuper, adjudicatam. Ejusmodi exemplum imitatus illico fuit Grimoaldus Episcopus Auximanus; et pontificali auctoritate anno 1153 rem comprobavit Eugenius III. jam Abbas Cisterciensis, et s. Bernardi Claravallensis discipulus. Haec recolit (2) Ughellius, et, quo testatior esset memoria, exemplum retulerunt Auximanorum Antistitum scriptores (3).

A. C. 1147

A. C. 1153

Profectus hinc in Italiam Otho, ut augustalibus titulis, ac diademate ab Innocentio III.

(1) Ex rogitibus Baroncelli die 28. decembris.

(2) Vol. 1. edit. Venetae.

(3) *Mem. stor. crit. di Osimo tom.* 2. — Moronius de Eccl. Aux.

ornaretur; *convenientiam*, *quam Bertholdus tunc per Italiam legatus* fecerat, et ordinaverat *inter ecclesiam Rambonensem*, *et monasterium s. Mariae de Flastra*, anno 1210 locupletissime confirmavit. Diplomatis (1) ex Ughellio, et Mabillonio peti possunt exempla. Nam Otho in Tusciam jam recesserat; promissorum immemor Romanae Ecclesiae ditiones invaserat, et Bertholdum familiarem suum Italiae rebus praefecerat. Dum perjurum Principem Ecclesiae hostem Innocentius denunciabat; muneri suo non deerat ubique vigil, ac prospiciens undique Rinaldus Abbas Arabonensis. Nam ad Tarabottum Praepositum ecclesiae s. Savini in agro Trejense literis datis, eum etiam atque etiam hortatus est, ut, quacumque ratione posset, ecclesiam ipsam jam Arabonensi monasterio mancipatam pristino nitori restitui curaret. Et revera ipse Rinaldi obsequens voluntati opus anno 1218 incoeptum assiduo seduloque labore perfecit, et, ne rei notitia periret, monumentum (2) ipse posuit, et Abbas confirmavit.

A. C. 1218

(1) De Epis. Cam. vol. 1. — ann. vol. 6. lib. 78.

(2) Anno 1218. Incoepta fuit dicta ecclesia vacante im-

Ea tum erat in nobilioribus monasteriis disciplina, ut quodlibet sub se haberet colonias, quae Praepositurae, Obedientiae, Prioratus, Monasteriola, et Monasteria passim, imo et Abbatiae aliquando vocabantur. In iis erant Praepositi, seu Decani ad nutum Abbatis, qui principali monasterio praeerat, amovendi. Ipsi in singulos annos eorum census principi monasterio referebant, certisque diebus ad conventum indictum adesse tenebantur. Sed jam contendebant de imperio apud Pontificem Principes, et distracti in factiones populi monachorum bona dilacerabant. Quare Honorii III. auctoritate opus fuit, ut ipse Rinaldo Abbati (1) praesertim adjudicaret *monasterium Rambonae de Monte Milone*, *Arcem de Mare de Monticulis*, *de Gualdo*, *et de Caldarola ecclesias cum omnibus pertinentiis suis*, *et privilegiis*, *quae D. Benedicti non obstarent institutis*. Bartholomaeus Episcopus Pisaurensis, et Albertus Canonicus de *electio-*

perio Onorio Papa. Hoc opus fieri fecit Taraboctus Praepositus s. Sabini-peractum fuit tempore Domini Rinaldi Abbatis filii Bonicomitis Abbas confirmavit.

(1) Datum Laterani 3. nonas maii.

ne haud *communiter* facta infensis animis disceptabant, et ab Honorio per literas ipsi petierant, ut res modis omnibus transigeretur. Haec omnia cum ii etiam atque etiam rursus a Pontifice contenderent, expeterentque; mandavit Honorius Abbati s. Savini, et Priori *s. Petri veteris* nuncupati, ut omnibus iis de rebus, postulatisque Pisaurensibus id ipsi constituerent, quod sibi ex usu, et ex dignitate pontificia videretur esse. Extant adhuc nonnulla ipsa archetypa rerum tum gestarum monumenta ad annum 1220 circiter (1) relata. At, quia inferius Abbatis Arabonensis sermo est, et inter homines Rinaldus adhuc agebat, teneo, Abbatem s. Savini eumdem esse ac Abbatem Arabonensem. Nam satis monachorum numerus creverat, et ii omnes facile intra unius loci ambitum contineri non poterant; et ideo in varia loca dispersi degebant sub unius Abbatis disciplina, qui nunc principalioris monasterii titulum retinebat, nunc illum alicujus vel Praepositurae, vel Prioratus quo-

A. C. 1220

(1) *Memorie per la storia della Chiesa Pesarese nel secolo XIII.*

modocumque sibi mancipati, ut docet Mabillonius (1).

Haec inter Fridericus II. pecuniam ad sacrum bellum ecclesiis ipsis, ac earum rectoribus a Gregorio IX. imperatam in profanos usus vertere, ne dicam impios, non erubescebat. Templariorum, et Hospitaliorum reditus ipse intercipiens, subditos ubique populos novis acerbisque vectigalium exactionibus exhauriebat. Conrado cuidam, qui apud eum ordines ducebat, ut Spoletanam vallem invaderet, ac subjectam diriperet, Perusiam quoque munitam urbem tentaret, deinceps imperaverat: et Raynaldum lanistam alium in Picenum immiserat, qui tamen ex bono et aequo, ut par erat, Genesinis privilegia quamplura confirmavit, eisque se rata praesertim habiturum promisit acta inita cum *Guidorello Jacobiatio*, *et Conrado de castro Virginii . . . . . Angelo fratre Abbate Rambonense*. Transactum est in id anno 1229 apud Montem Georgium (2), nec aliud nobis de Angelo licuit rescire, Guelforum

A. C. 1229

(1) Ann. vol. 5.
(2) Ex tabul. Genesino.

ac Gibellinorum fatalibus Italiae nominibus factionibusque tum ardentius aut invectis, aut revocatis.

A. C. 1236 Post Angeli II. mortem Ugo renuntiatus est Abbas Arabonensis. Is anno 1236, Hieronymo Praeposito s. Savini expostulante, emphyteoseos nomine (1) Petro de Rigo *unum casinalem* (id est ubi casae (2) aedificatae fuerant) *positum in monte Pancrassi* adtribuit.

A. C. 1248 Hinc Philippi nomen apud Abbates Arabonenses est celebre. Innocentius IV. anno 1248 Fridericum male apud Apuliam feriatum videns, Æmiliae urbes receperat. Bononienses, collatis signis cum Hentio Friderici filio, victoriam memorabilem retulerant; et Petrus Capoccius Cardinalis Legatus Marchiae Anconitanae Guelfos ac Gibellinos enixe ad pacem impulerat. Tum Pontifex intellexit a Grimaldesco, et Buligano, aliisque Dominis de Lornano, quanto damno, quantaque offensione eorum castrum Maccratenses diruissent. Itaque Philippo Abbati Ara-

A. C. 1251 bonensi Innocentius, antequam regressus esset in Italiam, id negotium statuit permittere, ut

(1) Ex rogitibus Petri Trejensis,

(2) Dugange in lex.

iidem Domini existimare plane (1) possent, sibi eos et esse charissimos, et semper fore. Sed et eidem Cardinali vicariam operam in legatione praestitit Philippus. Scimus, anno 1251 die 22 augusti *Appinianenses* Benvenuto de Mariola mandasse, ut *ad Philippum Dei gratia Abbatem Rambonae Vicarium generalem in Marchia* (2) *per venerabilem patrem dominum Petrum Cardinalem* proficisceretur. Et, ut irarum et odii et bellorum semina evellerentur, nos non latet, eumdem Philippum Appinianensibus praecepisse *sub datum Cinguli* 12 *septembris* cum obbedientiae vi et virtute, tum poena *equitandi hostiliter in oppidum* proposita, nisi paruissent; ut sine ulla mora (3) Bartholomaeo Matthaei Colutii bona intercepta redderent, nec omnino quicquam aut loquerentur, aut statuerent animo decertandi. Plures annos hac in legatione egerat Philippus, cum Alexander IV. eum ad negotia nostra curanda constituit adhibere.

---

(1) Comp. reg. pic. lib. 3. — *Datum Lugduni XII. kal. Jan.*

(2) Ex actis Attonis Trejensis.

(3) Ex tabulario Trejensi.

Quaedam foeminae apud nos humanarum rerum pertaesae ad antiquam *s. Salvatoris de Passiniano* ecclesiam sese receperant. Cives eas Damianitas appellabant, et ingens erat numerus in Italia posterioribus saeculis. Cum deinceps s. Augustini regulam aliae foeminae amplecti cuperent; permissu Alexandri Pontificis, et Guilielmi Episcopi Camerinensis monasticum habitum ipsae sumpsere, sibi domicilium aere proprio statuentes loco solitario, et remoto, quem *s. Mariae de Submonte* tunc vocitabant, nunc *Gratiarum*. Damianitae novum istum secessum haud tacitae videntes, illum praepedire instituerunt. Annuit Alexander, ac, datis anno 1255 die 22 decembris literis Marchiae Anconitanae Rectori pro potestate, (1) mandavit, ut Augustinianarum coetum ipse dissolveret. Sed officium haud bene se posuisse cognovit Rector: et Pontifex, qui, seditione Romae excitata, Viterbium se receperat; suo cum diplomate anno 1258 V. Kalendas Maii (2) obsignato voluit, ut Philippus Abbas Arabo-

A. C. 1255

A. C. 1258

(1) Datum Laterani XI. kal. Jan.

(2) Ex codicibus Vatic.

nensis ea de temeritate et arrogantia judicaret. Ut vero Abbas facilius atque celerius ea, quae Pontifex volebat, curare atque conficere posset; eodem tempore Alexander (1) Marchiae Magistratum, et Episcopum Camerinensem monuit, ut Philippum cura, studio, favore ipsi juvarent. Sed brevi Alexander diem clausit supremum, et, cum pacis negotium protraheretur, Jacobus Pantaleon Patriarcha Hierosolymitanus, qui in Italiam venerat de rebus Palaestinae acturus, extra sacrum Cardinalium ordinem Pontifex dictus, et Urbanus IV. vocatus, anno 1261 IX. Kalendas Decembris sub datum Viterbii monialium (2) de Submonte votis tandem annuens, monasterii fundationem ratam habuit, deque his Guilielmum Episcopum, literis ad eum datis, certiorem fecit, Priore dominicianorum s. Mariae *de mercato* exorante (3). Mox ea fuit Gregorii X. cura, ne sanctimoniales ipsae a Submonte recederent ac *juxta flumen Potentiae prope pon-*

A. C. 1261

(1) Turchius.

(2) Ex bulla Urbani IV. *Viterbii exarata VIIII. kal. decembr.*

(3) *Sub datum Laterani III. idus aprilis* 1272.

tem s. Severini, quo nonnullae jam deflexerant, proficiscerentur. Imo extorres Pontifex pristinae dignitati restituturum se spoponderat, si liberum eis ad Submontem *Joannes de Bectona* (1) *Ecclesiae Camerinensis Canonicus* iter aperuisset. Nec munus ipsae sunt (2) aspernatae, et monasterium diutissime stetit, donec Fratres Minores de Observantia in earum locum primum (3) sunt suffecti, mox Reformati, uti fusius alio loco (4) innuemus. Sed in iis ulterius immorandum non licet, et ex instituti ratione caetera de coenobio Arabonensi perstringamus.

Sequuto Philippi Abbatis obitu, Andraeas eidem sublectus fuit. Exemplum literarum, quas ipse ad quemdam Jacobum dedit de restituenda *Dopno Mauro* nonnullorum jurium possessione, vidi (5) in tabulis anno 1262 obsignatis. Inter *Bonafestam Rugerii filium* de

A. C. 1262

---

(1) Extat in tabulario capitulari ipsum diploma, cui sententia inserta legitur.

(2) Ex rogitibus Gentilis 1272. die 4. Julii.

(3) Ex actis Antonii Ser Ludovici ann. 1448.

(4) Ex literis Eugenii IV. datis *Florentiae pridie Aug.* 1441.

(5) Ex tabulis Joannis Not. Trej. 12. Septemb.

Digitized by Google

Monticulo, et monachorum ss. Blasii, et Savini familias, et Andraeam ipsum in primis plurimà necessitudinis officia paria et mutua exstabant. Quare anno 1269 voluit Andraeas, ut *Dopnus Valgnens* eidem *Bonafestae* agrorum, quos Arabonense coenobium (1) in loco *alemurelle* habebat, possessionem ne perturbaret, sed ipsum, permutatione inita, frui eisdem permitteret. Sed si metebant jugi labore in saecularium campis Clerici, ac praesertim monachi; vicissim tamen et saeculares nihil intentatum relinquebant, ut messem ab ecclesiasticis congestam in horrea sua leviori etiam negotio deducerent. Nam aerarii exhausti necessitas, difficilia bellorum tempora, patriae tutela contra hostes passim erant in causa, cur sacrorum praediorum invasio tunc cerneretur, et cur monachi (2) potentioribus viris se suaque committerent, ut raptores ipsi mulctarent. Non haec postrema laus Thomae Abbatis Arabonensis fuit hisce abusibus consuluisse, dum Marchiae Anconitanae Rectori mo-

A. C. 1269

---

(1) Ex actis Andreae Palmerii Trej. 12. Jun.

(2) Mabillonius in praef. 1. ad Saeculum III.

nasterii curam *totaliter*, *et plenarie* adtribuit.

A. C. 1285

Rei exemplum occurrit (1) in tabulis latis anno 1285. Nam ab ipso Rectore in emphyteusim petierunt Trejenses agros *de Rota*, qui ad monachos pertinebant.

Exitiale haud multo post dissidium exortum est inter Camertes, Mathilicenses, et cives nostros. Re ad Clementem V. delata, Abbas de Piloforte missus in Italiam (2) ab eo fuit, ut de Camertum impressionibus expostularet, eosque vi sacrosancti imperii ad officium cogeret obnitentes. Nam validis cum copiis in conterminum agrum nostrum delati castrum *Gaglioli* incolarum deditione receperant; et vi et machinis Mathilicam expugnassent, nisi cives nostri Picentum arma in Camertes junxissent, qui Vestignanum, plebem Ariae, et loca quaedam communierant, unde excurrere quam latissime, seque una cum praeda in tutum recipere impune possent. Ex iis multis ultro citroque acceptis, illatisque cladibus florentissimum *s. Mariae de Rotis* coenobium in agro

---

(1) Ex rogitibus Matthaei Attonis Trej. 5. Junii.

(2) Lilius par. 2. lib. 2.

Mathilicensi ad extremam quasi vastitatem redactum fuerat. Illud Urbanus Abbas Arabonensis suppetiis juvit, eòque (1) anno 1308 properavit. Per idem tempus Urbanus etiam prospexit ecclesiarum s. Savini de Monticulo, et s. Michaelis in castro Plecae commodis et securitati. Sed nihil potius habuit, quam ut collabentem temporibus illis monasticam disciplinam optimis legibus fulciret. A. C. 1308

Urbano humanis rebus sublato, Abbatiae regimen sustinuit Henricus. Sed curis distentus cum haud facile posset in se ipsum secedere, ea res vitae pristinae desiderium fecit. Quare anno 1326 munus deposuit, et monasterio regendo praefectus fuit Bertholdus. Abbas factus a Joanne XXII. cum literis Avenione (2) latis XVI. kalendas februarii vitae rationem non deseruit, imo adauxit usque ad annum 1343 in quo decessit. His diebus Clementi VI. Lemovicensi catholicae Ecclesiae cura mandata erat. Ad eum miserant Romani Legatos rogantes, ut in urbem veniret. At moram in trans- A. C. 1326 A. C. 1343

(1) Ex publicis tabulis obsignatis anno 1308. die 22. augusti.

(2) Ex tabulario capitulari.

alpinis regionibus ipse excusaverat, Guelfos inter et Gibellinos bello in Italia adhuc flagrante. Ideo ratum habuerat anathema a Decessoribus latum contra Ludovicum Bavarum: et dum cavebat diligentissime, ne sacerdotia viris conferrentur minus idoneis, minusque probis; in demortui Bertholdi locum subrogavit Philippum Jacobi civem nostrum, inter monachos s. Eustachii de Domora jam cooptatum. Extat diploma (1) Avenione obsignatum XVI. kalendas augusti anni desuper relati, ex quo innotescit, coenobium s. Flaviani titulum in illum *s. Mariae* hoc tempore immutasse.

Haec inter Bavarus, quasi vicem Pontifici rependere vellet, apud urbes complures, quae Ecclesiae ditionis erant, Vicarios ipse suos constituit, inter quos Arimini Galeottum Malatestam, qui brevi pene omnis Marchiae Anconitanae tyrannidem occupavit. Tum urbes latrociniis obnoxias cives nostri viderunt, vias a sicariis insessas, justitiam prostratam, pudicitiam promiscue violatam, sacra ac profana omnia, nobilium praesertim libidine, temerata. Hinc militum colluvies, duce Moreale, in Pi-

(1) Ex codicibus Vatic.

centes grassata est, acerbissimis a populo exactionibus, decimationibus ex universis sacerdotiis institutis. Sed brevi et monachorum Arabonensium indemnitati Ægydius Carillus Albornotius Cardinalis in Italiam ab Innocentio VI. missus, ut Ecclesiasticae ditionis urbes reciperet, consuluit. Ipse Philippum Abbatem pecunia juvit, eique commisit, ut sententiam rescinderet, quam in Trejenses perduellionis reos Pontifex tulerat (1). Abbas in Philippi locum lectus est Antonius e Neapoli. Anno 1374 legimus, Petrum Episcopum Auximanum fuisse ab Antonio rogatum, ut quemdam Arabonensem monachum (2) ad ordines promoveret. Haec de Antonio scriptores Auximani, ac nihil praeterea.

A. C. 1374

Mox Abbatis dignitatem inivit Nicolaus Puccettus Camers, Prior in monasterio (3) s. Angeli de Praefolio ad occasum plebis Taurinae, ubi coenobitae, s. Benedicti regulam profitentes, morabantur. Ex Gregorii XI. diplomate

(1) Ex tabulario Trejensi *sub. dat. Anconae.*
(2) *Mem. stor. della Chiesa, e Vescovi d' Osimo.*
(3) Turchius.

Google

Avenione obsignato V. Kalendas (1) decembris anno 1374 id ipse rescivit. Ad coenobii res instaurandas frustra animum advertit Antonius, aris ac focis hostium furori iterum subjectis, auro ac argento ex sanctioribus adytis ablato. Nam, ubi Florentini perduellionis vexilla circa Pontificias urbes misère; Umbriae, ac Tusciae civitates reliquae, Æmiliae tum atque Piceni certatim a Pontifice defecere, initio a Tiphernatibus facto. Ea ex re turbae maximae exortae etiam inter nos: cives ab incondita multitudine male mulctati: effracti carceres: emissi inde noxii. Et eo vesaniae (2) Maxius, Cimarellus, Paognonus, Benutinus, et Ugotionus Tanarellii apud Cingulanos venere, ut viros ad Ecclesiae jura abroganda ipsi passim adegerint. A confluente seditiosorum hominum multitudine tum Nicolaus e coenobio eductus Cingulum ad Maxium se contulit. Exceptus benigne ac liberaliter altus pro eorum causa pertulit multa. Nam, Guilielmo Cardinale Legato Pontificis jussu permittente,

A. C. 1375

---

(1) Ex codicibus Vatic.

(2) *Osserv. crit. Ling.* — Compag. reg. pic. — Martorellius *mem. stor. di Osimo.*

Petrus (1) Episcopus Auximanus eum anno 1376 die 20 februarii diris devovit. Et quamvis a Pontifice veniam suppliciter implorasset, et mox vitae reliquum in monasticis curis cum integritatis fama exegisset: tamen parum, aut nihil ad monachorum commodum moliri ipse potuit. A. C. 1376

Jam plebiscita plurima adversus Romanam Ecclesiam homines, a bellorum turbinibus, ac Italiae cladibus exorsi, ediderant, templorum reditus fisco addicentes. Pontifex, ut Florentinos ad pacem adigeret, profectionem in Italiam maturaverat. Quare Avenione ipse solvens sub anni 1377 exitum in romanum litus delatus, ad XVII. januarii diem sequentis anni per Tyberis alveum urbem ingressus est, pacis conditionibus Sarazenae initis cum Italiae dynastis. Sed, quod Rebeccae olim contigit ex gemino partu, hoc idem Romanae Ecclesiae usuvenisse anno 1378 constat ex schismate aeque noxio ac diuturno in novi Pontificis electione conflato. En nova sacerdotiorum fata: en monasteria novis periculis exposita: en Nicolaus Abbas Arabonensis coactus anno 1379 A. C. 1377 A. C. 1378 A. C. 1379

(1) Ex actis Lambertini.

semel et iterum bona divendere Jacobo Lemmii ex Marchionibus Monticuli, et agros nonnullos cum Honuphrio, et Roberto filiis Colae Smedutii anno 1382 permutare, rem (1) Dominico, et Antonio monachis comprobantibus. Ita pessum ire coeperat monachorum numerus, et in pejus ruere florentissimus iste Arabonensium coetus, unde tot exempla virtutum Picentes collegerant!

A. C. 1382

A. C. 1387

Vertente anno 1387 Nicolao successor datus est Joannes, quem, ingravescentibus rei pecuniariae difficultatibus in Italia ob continuos armorum fragores, Bonifacius IX. a quadam onerum solutione anno 1392 exemit; et coenobium a jurisdictione Episcopi Camerinensis, quoad usque viveret idem Abbas, Pontifex fecit immune. Id est legere in diplomate (2) Romae lato II. idus decembris. Sed factiones adhuc infestabant Italiam; et ubi coenobii summam habere coepit Antonius anno 1397, illud erat timendum, ne per partium aemularum contumaciam pestilens ista conscissio in perpetuum prorogaretur. Igitur, si illud infensis-

A. C. 1392

A. C. 1397

---

(1) Ex tabulario com. Sanctiseverini.

(2) Ex codicibus Vatic.

simum tempus memoria repetas, explorata tibi erit causa de multorum coenobiorum defectu, et, ut aliquid proferam de Arabonensi, ab anno 1408 nullus omnino se prodit Abbas, aut monachus. Imo ex quo Philippus Vicecomes nefarium Eugenio IV. bellum pessimis artibus intulit, et Picenum, Francisco Sfortia duce, subegit; scimus, Pontificem Pandulpho Episcopo Camerinensi negotium in primis dedisse, ut ea monachorum Arabonensium jura et bona, quae, schismatis ac bellorum flamma per Picenum furente, occupata fuerant vel erepta, assereret ac recuperaret. Hinc Eugenius Pandulpho abbatiam ipsam (1) conferendam duxit, et Episcopus anno 1435 die 8 Augusti pontificio fisco florenos centum persolvit.

A. C. 1408

A. C. 1435

Haud multo post Pandulpho denato, Alberto de Albertis Pontifex abbatiam censuit concredere. Ipse deinde electus Episcopus Camerinensis eam cessit Philippo Brunio Abbati s. Laurentii in Doliolo, et s. Eustachii de Domora. Ab Eugenio *literas unionis* Brunius obtinuit anno 1438; et Joannes Binius Abbas

A. C. 1438

(1) Ex eodem loco.

s. Mariae de Rotis judex apostolicus delegatus Arabonensis monasterii statum tunc temporis uberrime retulit. Haec aliaque in codicibus chartaceis ecclesiae s. Laurentii in Doliolo in tabulario episcopali asservatis, quibus ampla continetur synopsis tabularum, quae antiquitus erant in pluteis ejusdem ecclesiae, auspicatius quidem inveni. Sacerdotia, et ecclesias tandem (1) perstringam, quae obsequium Ab-

(1) Series ecclesiarum haec est. *Sanctiseverini.* Prioratus s. Laurentii de Camporaria nuncupatus *Eremita.* Ecclesiae parochiales s. Mariae de castro Pitini, s. Antimi de Saxo, et s. Mariae de Valle, s. Viti de Cursiano, s. Petri de Serripula, et s. Laurentii de Tabbiano, s. Petri de villa Blaxiorum, s. Luciae de Serrone, et s. Joannis de Paterno, s. Bartholomaei de Belenaria, s. Joannis de pago Granalium, s. Mariae de Majo. *Camerini.* Plebanatus s. Zenonis castri Gallii, ecclesiae s. Blasii de castro Raymundo, s. Blasii de Agello, s. Salvatoris de Parco, s. Petri de Sciano de castro s. Mariae, s. Martini de Rustano, s. Joannis de Colle Stephani, s. Paterniani de . . . ., s. Nicolai de Dumonis de castro s. Mariae, s. Angeli de Arborata, s. Mariae de Usciano, s. Mariae de Ancajano, s. Laurentii de Palazzolo, alias de Colle, s. Joannis de Accusis, s. Michaelis de Gallio, s. Mariae de Macchis, s. Savini de Millicciano, s. Fabiani de Cruce, s. Flaviani de Rocca, s. Concordii de Castro s. Mariae, s. Barbarae de Crisperio, s. Casciani de Fluminata. *Tolentini.* Ecclesia s. Martini. *Sanctigenesii.* Ec-

bati s. Laurentii in Doliolo, s. Eustachii de Domora, et s. Flaviani, seu s. Mariae de Arabona, pollicebantur.

Quae vero sit antiquitas Arabonensis castri a Sfortianis militibus (1) deleti, ne id quidem definiri posse judico. De castri nomine plura miro artificio cecinit (2) Pamphilus. Satis de templi forma scripsit, non minus ingenio, quam eruditione clarus, (3) Amicus Riccius eques. Quare his altius investigandis non satis otii suppetit. Restat, ut antiquum proferam lapidem nitidissima Augusti aetate scri-

---

clesia s. Michaelis. *Montismilonis.* Ecclesiae s. Blasii, et s. Andreae. *Appignani.* Ecclesia s. Mariae Almajani. *Monticuli.* Ecclesiae s. Michaelis, et s. Ægidii. *Maceratae.* Ecclesia s. Salvatoris. *Recineti.* Ecclesia s. Paterniani. *In Abbatiali templo s. Laurentii in Doliolo.* Sacerdotia s. Bernardi, s. Bartholomaei, s. Angeli; s. Simeonis, ss. Trinitatis, s. Paterniani, s. Petri, s. Mariae in Baptismale, s. Urbani, ss. Crucifixi, s. Mariae in pede Scalarum, s. Joannis, s. Agnetis, s. Barbarae, s. Eustachii, s. Mariae in Confessione, s. Ægidii, ss. Crucifixi in ecclesia s. Petri de Serripula, s. Petri de Cornelo, s. Antonii de Cesalonga, et s. Mariae in Confessione.

(1) Colutius ant. pic. vol. 1. pag. XCVIII.

(2) De laudibus Piceni lib. 2.

(3) *Arti, ed Artisti della Marca d' Ancona. vol.* 1.

ptum, et *Marci Sicini Marci filii Velına Olimpiani* nomen praeseferentem. Hic saeculo XVII. erutus fuit ex loco, quo surgit Altare princeps Arabonensis Ecclesiae. Qui norunt, quam turpiter una cum aliis antiquitatum vestigiis *Sicini* inscriptio jaceret; sciant, eam e situ evasisse jussu Antonii Barberini Cardinalis Commendatarii, Camillo Lilio (1) exorante. En verba. Uti suavitate sua et lepore delectant! Uti paucis omnia comprehenduntur!

D. M.
M. Sicini M. Fil.
Vel. Olimpiani
vixit Ann. XVII.
(2) Mens. VIII.
Diebus III.
Numisia Ter
tullina Filio
Pientissi
mo

(1) Ex scheda apud Ranaldium.

(2) Prostat in aedibus Severini Servantii Collii comitis.

§. IV.

De Monasterio S. Mariani in Valle-Fabiana

Saeculo X. ineunte exortus jam erat Cluniacensis ordo, ex quo, velut alveari foecundissimo, monachorum multa examina per Galliam, Germaniam, Hispaniam, et Italiam se propagaverant. Infaustus tamen prorsus atque funestus ecclesiae, et imperii vicissim contendentium status tum erat. Romanas enim res Italici Principes, Germanorum Reges, et Imperatores pro suo regentes arbitrio, ambitiosos clericos altiore pretio, et infamibus obsequiis, ac pollicitationibus licitantes ad Ecclesiae dignitates promovebant. Horret animus ista commemorare: sed laetandum, in palaestra monastica aetatem ab his pravis artibus immunem quamplures in comitatu nostro transegisse, pristinae Benedictinorum solitudinis, et contemplationis desiderio ductos. Igitur inter alia, quae infelicissimis hisce temporibus apud nos

tum florebant, postremum sane locum non obtinet coenobium *s. Mariani in Valle-Fabiana* apud castrum Collis-Lutii. Huc, caelesti voce roboratus, fugiens a suis *s. Illuminatus* delituit, et in vitae austeritate Deo serviens vixit aliquandiu, ut suo enarrabimus loco.

Coenobium s. Mariani longe esse antiquissimum, illud suadet, quia nullum omnino suppetit monumentum, quo ejus erectionis initium definiatur. Nihilo tamen minus a vetustioribus saeculis repetendum esse teneo, quia vel ipso XI. saeculo occurrit ecclesia ista, cui monasterium adjacebat. Ugo (1) Episcopus Camerinensis anno 1094 *terram in loco, qui dicitur ad Valvemanum*, dono dedit *Jantio*, *qui Gosio in baptismo* vocabatur, quique erat *Abbas de monasterio s. Mariani*. Perlegens ego hujus coenobii diplomata, typis jam consignata, et pervolutans ea in tabulario majoris Ecclesiae nostrae asservata; plurimos Abbates, multa loca, et suis quaeque distincta appositis, appellata esse inveni, quae sub sequioribus temporum notis laudantur. Neque illud in pri-

A: C. 1094

(1) Turchius Cam. sac.

mis omittam, quod nosse mihi datum fuit per annum 1122. Continet istud quorumdam bonorum donationem *in loco* (1) *qui nominatur a Casapilis* factam a Terramundo Episcopo Camerinensi monasterio s. Mariani. Albericus anno 1171 a monachis Abbas fuit designatus; vir per omnia apostolicus, ac religione conspicuus. Hinc anno 1198. Bonus, monasticae disciplinae regendae intentus, Abbas constituitur, qui pluribus in dies augeri agris, et juribus monasterium vidit. Nam, quo major erat alicujus ecclesiae potentia, majoraque privilegia, eo facilius tunc homines sub ejus umbra bona collocabant. Ac propterea ingentem fundorum, et opum copiam congessere Abbates prae caeteris honestiores. Et ob hanc praesertim causam accidit, ut in tot diversis, atque etiam remotis comitatibus, ac locis monasteria, cortes, ecclesias, aliaque bona possiderent passim, a Pontificum diplomatibus confirmata.

A. C. 1122

A. C. 1171

A. C. 1198

Haec, etsi confirmatione minime indigeant, attamen cives non pigebit ea expressa intueri in Innocentii III. literis Romae obsignatis (2)

(1) Lilius part. 1. lib. 8.
(2) Turchius in Appen.

per manum Rainaldi Acherontini Archiepi-
A. C. *scopi et Cancellarii vicem agentis* XI. Kalen-
1199 das aprilis 1199. Ipse documenta fere omnia, quae ad coenobii bona, jura, et honores spectabant, in unum veluti colligens, ac collecta posteritati mandans, *Benetevolium Abbatem* s. Mariani, ejusque fratres, quos dixit *de ordine s. Benedicti*, sub Apostolica protectione suscepit; et firmum illis, eorumque successoribus voluit permanere, atque illibatum *monasterium* ipsum, *possessiones et molendina Tolentini*, *et infra et extra castrum Sancti Severini cum ecclesiis s. Helenae de Aria*, *s. Martini*, *et s. Joannis de Castaneto*, *s. Claudii*, *et s. Helenae de Carpiniano*, *s. Angeli de Submonte*, *s. Mariae de Pastina*, *s. Paterniani*, *et s. Savini de Clusiano*, *s. Gregorii de Massariano*, *s. Martini de Podio*, *s. Mariae de Colle Campetrani* una cum agris *de Petro Arnulphi de Beviglíano et Crusiano*, et possessionibus *s. Mariae de Casale*, quae hodie *s. Jacobi* appellatur in castro riparum Sanctigenesii.

A. C. Bonus II. Abbas sufficitur, dum Frideri-
1213 cus II. anno 1213 in Germaniam delatus, et omnium cum plausu imperii titulos assequu-

tus, nihil prius habebat, quam ut Romanae Ecclesiae jura sanciret. Sed brevi Bonfilius factus est Abbas. Is anno 1216 ecclesiam *s. Bartholomaei de Palloleto a Jennario Paganutii, et Chittama* in beneficium obtinuit, et eorum patrimoniis (1) monachicum penus pinguius effecit. Hinc ipse Ænobarbi nepos improbitate cum avo, et Henrico patre certavit. Imperii titulis ab Honorio III. honestatus, in Pontificiam ditionem anno 1222 impetum fecit. Quare ei decus et nomen Augusti idem, qui dederat, abolevit, et, adjecta solemnis ignominiae nota, interdixit piorum congressu, sacrisque. Quae vero mala in ea diuturna urbium direptione perpessus fuerit Joannes Abbas inde sublectus, ex Philippi Episcopi Camerinensis (2) literis datis VIII. kalendas Maii anno 1241 intelligere ne pigeat. *Videns ipse*, sunt verba diplomatis, *defectum monasterii s. Mariani . . . . quia tempore . . . . imperatoris Friderici extitit combustum, dedit . . . . Severino Abbati . . . omnia jura ad Episcopatum, et Ecclesiam ipsam Camerinensem pertinen-*

A. C. 1216

A. C. 1241

(1) Ex tabulario capitulari.

(2) Turchius in Appen.

tia . . . . in ecclesis . . . . castri , et villarum Carpignani , nec non in iis *s. Gregorii de Massinano . . . . in districtu Culmurani, et s. Angeli de Truscho cum parochianis.*

Sed liberalius quoque idem Episcopus se gessit cum monachis ipsis. Appello diploma anno 1242 XIII. nonas aprilis latum, in quo bona, et privilegia monasterio ab Antecessoribus adtributa cumulatissime confirmavit una cum iis, quae (1) coenobio *Dominus Promptaguerra, et mater sua Domina Clarmondina pro anima eorum , et ejus uxor Domina Blancantina concesserunt*, et cum bonis *quondam filiorum Offredi* positis *ad Casale* cum agris quos *habent filii Vainutii*, aliique. Eorum temporum mos erat, quum bella immînerent, ad exercitum ciere quoscumque armis aptos. Imo ejusmodi copias Italiae dynastae interdum in Gallias, atque Germaniam pertrahebant, ut eas imperii hostibus opponerent. Et incerti militiae eventus, et opis divinae supra solitum implorandae necessitas in tanto discrimine homines inducebant, ut rebus suis ipsi consulerent, easque Deo offerrent.

A. C. 1242

(1) Idem ibidem.

Ut vero rei memoria testatior esset, Guillielmus Episcopus Camerinensis anno 1253 *nono exeunte martio* Philippi diploma ratum habuit, aeque ac jura *s. Mariae* (1) *de Casale, et s. Martini in Castro riparum.* Has ecclesias *nobiles viri Dominus Promptaguerra et filii sui, D. Gentilis, D. Gualterius, D. Bernardus, et D. Guarnerius monasterio* s. Mariani addixerant.

A. C. 1253

Et sicuti saepissime vetustis illis temporibus factitatum fuit, ut deperditis diplomatibus nova procuderentur, vel ab aliis procusa ii, quorum res intererat, amplecterentur; Guido Episcopus Camerinensis anno 1261 *kalendis aprilis* cum literis datis (2) *apud monasterium s. Crucis Fontis Avellanae* Guillelmi exemplar confirmavit, Benvenuto Abbate Mariano deprecante. *Anno* 1262 *tempore Domini Manfredi Serenissimi Dei gratia Siciliae regis ejus anno IIII. die kalendarum madii in claustro monasterii s. Claudii Domina Spetia Abbatissa s. Claudii ex consensu Benvenuti Ablatis* quamdam bonorum permutatio-

A. C. 1261

A. C. 1262

(1) Idem ibidem.
(2) Idem ibidem.

nem iniit. Sanctimoniales istae dominium Mariani coenobii in Claudianam aedem *de Saxulio*, brevi censu persoluto, quotannis (1) testabantur. Ab antiquis vero temporibus usque ad saeculum XV. ibi Benedicti regulam ipsae erant professae, et *in pede* (2) *castri Belfortis* . . . . *ad tribbium de Tuturanu* ecclesiam s. Joannis Evangelistae statuerant aedificare, ut apud eam monasterium Benedictinarum Virginum instituerent. Et revera nos non latet, (3) *Canonicos plebis Faverii* rem, ex voto confectam, latissime confirmasse.

Ut vero Guidonis Episcopi nomen nulla unquam deleret oblivio, scitu dignum inveni,

---

(1) Ex tabulario capitulari. Nomina monialium erant — *Margarita*, *Pacifica*, *Beldina*, *Benigna*, *Catharina*, *Angelica*, *Solomea*, *Illuminata*, *Susanna*, *et Lucia* —

(2) Tabulae latae sunt anno 1341 *a nob. mul. Dominica Paulutia Abbatissa s. Claudii de Saxulio* obsignatae *cum consensu omnium Dominarum, Danielis, Philipputiae*, *Catharinae*, *Annutiae*, *Lomiae*, *Nicolutiae*, *Giannae*, *Benninae*, *Margaritae*, *Ursulinae*, *Franciscae*, *Risaflorae*, *Benignae*, *Luciae*, *Andriolae*, *Joannae Valentini*, *Amadeae*, *Obedientiae*, *et Angelicae*. Prostant in tabulario capitulari.

(3) Scheda data est anno 1342, Joanne Guadagni Notario.

Digitized by Google

eum monachis s. Mariani anno 1261 desuper relato potestatem fecisse aedificandi (1) *ecclesiam .... juxta Castrum Sanctiseverini ubicumque* eis, eorumque *parochianis visum esset.* Explorata tamen res est, longe ante annum laudatum Vallem Fabianam monachos penitus reliquisse. In tabulis (2) latis anno 1258 die 15 Junii legitur - *in domo quae fuit Raynaldi Bovis .... quae nunc est de monasterio s. Mariani intra castrum Sanctiseverini* - In iis obsignatis anno 1272 habemus - *actum in çastro Sanctiseverini* (3) *in trasanna domorum monasterii s. Mariani.* - A. C. 1272

Interim adorta vis morbi Athonem Abbatem extinguit, et monachi Abbatem esse censent Joannem II. Cum anno, quem mox attigimus, inter se dissiderent *pro vinea posita in contrata s. Helenae* monachi s. Mariani et Malpilus Grimaldi, ac Raynaldutius Jacobi, nomine etiam Putii, et Gentilutii fratrum Malpili, qui tunc temporis dominatum Pitini obtinebant; *Dopnus Salimbenes* anno 1273 die A. C. 1273

(1) Turchius in Appen.
(2) Ex rogitibus Blasii.
(3) Ex archivio capitulari.

10 septembris ad eos conciliandos a Joanne fuit missus. Ita declarant tabulae latae (1) *in ecclesia majori Sanctiseverini*. Post id temporis monumenta facile evincunt, monachos intra Castrum novum s. Mariani templum excitasse, cujus vestigia adhuc conspiciuntur.

Sed jam Italiae dynastae nihil intentatum reliquerant, ut messem a monachis praesertim congestam in horrea sua leviori negotio deducerent. Ita ecclesiarum patrimonia ipsi expilantes, magnatum animos in sua fide, ac dilectione confirmaverant, et militares viros ad majores in bello labores sustinendos earum profusione accenderant. Sed extra dubium est, Romanos Pontifices tum passim jussisse monachis bona restitui, et viros legasse, qui principum acta rescinderent. Fecit id libens (2) Nicolaus III. anno 1279 suo cum diplomate, in quo monachis s. Mariani confirmationes, privilegia, et caetera omnia, quae ab Decessoribus suis Abbatibus concessa fuerant, latissime comprobavit. Neque illud silentio praetereundum, quod Petrus Alafredi in Marchia Anco-

A. C. 1279

(1) Ex eodem loco.
(2) Ibi.

Google

nitana Vicarius generalis (1) posteritati mandavit anno 1281 die 12 aprilis. Ipse Alberto *cappellano ecclesiae s. Gregorii de Massurano*, et Praeposito Monasterii s. Catervi de Camerino, nec non Priori plebis Belfortis literas dedit, ut ii consulerent damnis coenobio s. Mariani illatis. Nam ad Petri aures pervenerat, quosdam *iniquitatis* filios *domum* a monachis *de novo aedificatam juxta castrum Culmurani* horis nocturnis diruisse. Urbes mutuis inter se flagrabant odiis, et dissensiones non leves inter castra oboriebantur. Quo vero furoris aestu in monachos abriperentur nonnulli, ex historia satis compertum. Italiam reges, imperatoresque expilabant, ingentibus afficiebant cladibus, et ferro flammisque inter se mutuo decertabant. Quare durius quoque sese gessissent cum monachis nostris homines perditissimi, et eorum jura etiam decurtassent, nisi Episcopis Camerinensibus, et Vicariis generalibus in Marchia Anconitana gratiosi ipsi fuissent.

A. C. 1281

In scheda membranacea, ex qua Joannis de Crudeto Episcopi Camerinensis nomen

(1) Ibi.

A. C. 1283 Ughellio ignotum (1) prodit, legimus, anno 1283 Joannem Abbatem s. Mariani ad Martinum, Canonicum Narniensem, in Marchia Vicarium provocasse. Nam Plebanus et Clerici plebis Ariae male sentiebant de monasterii juribus in ecclesiis *s. Claudii*, *s. Angeli*, *et s. Joannis de Carpiniano*, quasi Joannes non virtuti fideret, sed astu doloque malo rem ageret, atque artibus nequaquam rectis niteretur. Sed id perjucundum Abbati accidisse visum fuit, quod sua, suaeque gentis jura confirmaturum se existimaret cum testibus *Jeremia monacho monasterii de Insula*, *fratre Benvenuto de s. Claudio*, *fratre Illuminato* (2), *aliisque*. Haud multo post Joanni II. Abbati monachi substituerunt Boncambium; et Ramboctus Episcopus Camerinensis *Vigilio cappellano s. Michaelis .... dedit in mandatis*, ut *prope castrum Culmurani*, *ubi dicitur trivium*, primum *ecclesiae s. Gregorii* lapidem immitteret, Abbati *immediate subjiciendae*. A. C. 1289 Id ex tabulis (3) innotescit confectis anno 1289 die 9 aprilis. Sic

(1) Turchius. Compagn. reg. pic. part. 1. lib. 3.

(2) Ex tabulario capitulari.

(3) Ibi. *Testes sunt Thomas monachus*, *Benedictus de Urbisalia*, *et fratre Illuminato olim de Brunforte*.

optimo sane consilio factum fuit, ut per haec tempora sane infesta monasterii jura ampliare Boncambius studeret. Idem prope sonant literae, quas ipse anno 1290 dedit *Venturae de Collapetra* ad sacerdotium *s. Helenae de Aria* a monachis lubenti animo assumpto. Nam eo in genere nihil jam poterat ei, vel tam amplum contingere, quod non ejus virtutibus angustius, vel tam cito, quod non expectatione monachorum serius esset futurum. Ita ipsi divinabant ac vaticinabantur fore; vel quia Neapolim Ventura (1) concesserat ad liberales disciplinas addiscendas, vel quia uberes semper fructus ex eo, voluptatesque ipsi perceperant. Sed in eo quoque monachi elaborarunt vel maxime, ut bona, quae praeterito Fridericianae incursionis tempore damnum perpessa fuerant, in pristinum statum restituerent. Quare eisdem remisit *Annibaldus Bentevolli jura in terreno et platea posita in castro Sanctiseverini ..... prope portam Communis, quae vocatur Benevente.* Hac super re adsunt (2) tabulae latae anno 1294, teste inter alios *Antonio cappel-*

A. C. 1290

A. C. 1294

(1) Ex tabulario capitulari.

(2) Ibi.

lano ecclesiae s. Savini de Caprexano. Mox studiis ardentibus *ad Curiam Sanctiseverini, et Domini marchionis* Boncambius confugit anno 1297, uti probant tabulae sub eadem nota (1) confectae. Conatus tamen omnes dicendum incassum cessisse. Nam gravis, eaque diuturna, monachos inter et parochianos controversia exarsit, seu potius recruduit; tum quia, quae debebant, persolvere denegabant, tum quia potissimum pactiones antiquitus cum coenobio initas minime sibi servandas esse rebantur. Pro iis quidem rebus firmandis, quae ad ultimam inopiam monachos ipsos redegerant, plurimam operam impenderat Joannes III. Abbas inde sublectus.

A. C. 1297

Sed jam Ludovicus Bavarus Gibellinorum accitu in Italiam veniens Tridenti substiterat; et eo plerique omnes convenerant, qui se fideles imperii appellabant, aut legatos certe suos miserant. Tum Italia impudentissime tumultuavit, novum ortum est schisma, pecunia ecclesiasticis viris undique imperata. Haud absimile infortunium passi sunt monachi s. Mariani; et quid ea de re Berardus Episcopus

(1) Ex actis Roberti magistri Severini.

Camerinensis senserit, quidve statuerit, satis constat ex iis, quae infra innuemus. Angebatur animo Joannes Abbas, quod tot curis diutius ageretur, et sub aeris alieni piaculo insordesceret. Cum itaque de propensiori in se Manfredi Abbatis s. Mariae de Valle-fucina voluntate esset edoctus, Legatos ad eum misit, per quos monasteriorum unitionis pacta omnia subiturum se pollicebatur. Annuit haud aegre Manfredus, internunciosque alios destinavit plenissimo cum commonitorio, reique transigendae mandato, ac potestate. Et revera ipse monachis s. Mariani suppetias tulit, eosque perpetuo monasterio suo adjungens a sordibus vindicavit. Extat locupletissimum ad unitionis negotium ultimandum diploma (1) Berardi Episcopi Camerinensis, anno 1327 die 13 martii obsignatum, praesentibus *Aldrovannutio Domini Bartholi de Trussia*, *Gabbutio Nutii Domini Rainaldi de Sanctoseverino*, aliisque. Et reapse res ita coaluit: nam, qui deinceps *Abbas* fuit *s. Mariae, utriusque monasterii Abbas* vocatus est; et monachi in ecclesia s. Mariani sacra gesserunt, donec coenobium Val-

A. C. 1327

(1) Turchius in appen.

lisfucinae permansit, ut in paragrafo subsequenti.

Hujus rei argumentum, ut reliqua sileamus, sunt Innocentii VIII. literae, in quibus ipse (1) concessit *indulgentiam pro die festivitatis B. Illuminatae ecclesiae Abbatiali ordinis Benedictinorum Sanctiseverini in Piceno camerinensis dioecesis* anno 1485. Et hic *Illuminatae* nomen Castellinio (2) nunquam dabo, cum, idem esse ac illud *Illuminati*, Bullandiani teneant. Constans est opinio, quae a majoribus ad nos traducta viget in Ecclesia Septempedana, *B. Illuminatum* saeculo XIII. apud coenobitas s. Mariani floruisse, altissima contemplatione donatum. Veteri coenobio ob Fridericianum furorem, ut desuper, everso, et novo intra Castrum aedificato, suspicor, in hoc vitam cum morte *Illuminatum* commutasse, ejusque nomen forsan prodire in scheda membranacea anni 1283. Subdit Leonardus Franchius a Bullandianis, et Cancellottio (3)

A. C. 1485

(1) Castellinius in opere — *de certitudine sanctorum canonizatorum* — cap. 2.

(2) Idem ibidem.

(3) Consule librum inscriptum — *Novena in onore di s. Illuminato* —

relatus - *Illuminatus*, *divi Benedicti monachus, vir fuit celebris sanctitatis, et sepultus in ecclesia s. Mariani, quae erat ejus coenobium.* - Franchio consonat Baronius in suis adnotationibus ad Martyrologium Romanum sub die 11 Maii. Et grati animi est commemorare, Tossinianum, Cluverium, Wadingum, Arturum, et Masculum (1) de *Illuminato* verba fecisse. Sed bene quoque erat, quod, vel antiquato Vallis-fucinae coenobio, adhuc cives publici cultus significatione *Illuminatum* prosequerentur, et quod reliqua nos in chronotaxi rejiceremus.

A. C. 1523 Postquam sacra Mariani aedes in Collegii Canonicorum jus venit, eam monialibus s. Catharinae anno 1523 adtribui Capitulum jussit, pignus pro sua in eas voluntate haud sane pusillum (2). Nam ipsae religiosae vitae tirocinium usque ab anno 1444 erant amplexae, et perangustum secessum sibi construxerant *in quarterio s. Francisci* (3) prope sacram divae

(1) Tossignan. tom. 1. — Cluver. ital. ant. lib. 2. — Wadin. tom. 1. — Artur. in mart. — Masc. in fastis sub die 11. maii.

(2) Ex libris monasterii s. Catharinae.

(3) Sartius in sua *Cupra montana*.

Catharinae aediculam, quam successu temporis titulo s. Barbarae decoratam legimus. Propaginem fuisse sanctimonialium s. Catharinae de Cupra-montana, testatur Sartius. Mox, cum perfectius vitae genus amplecti cuperent, tribus sibi adjunctis (1) ejusdem propositi foeminis ex monasterio s. Catharinae apud Maceratenses adscitis, Benedictinorum regulam anno 1544 in Mariano coenobio professae sunt, Divi Bernardi habitum induentes. Brevi locupletiores evasere, et quanti eas in posterum fecissent cives, amantissimis verbis ipsi ostenderunt. Et haec ideo scire omnes volui, ut, tametsi confiderem, vel propter familiae splendorem, vel per sese charas omnibus eas esse, haberent tamen ipsas multo etiam *s. Illuminati* nomine chariores. Moniales ejus reliquiis singularem cultum statim praestitere: suavissimum (2) odorem ejus admirantes novam ei aram exstruxerunt, illud non sine magna molestia intelligentes, quod sane in antecessum ex Ferrario (3), ac

A. C. 1544

(1) Idem ibidem.

(2) Ex vita piae virginis Franciscae a Serrono scripta a Felice Achillaeo, et a Joanne Baptista Cancellottio.

(3) Venantius Divinius in vita s. Illuminati.

Divinio credere vix aegreque poterant, id est, Jacobum Laurum in sua historia *s. Illuminato* apud Interamnenses ortum dedisse. Quare anno 1641 cives nostri cogitarunt aliquos suos ad Urbanum VIII. interpretes mittere, qui cum Pontifice de recepta injuria (1) communibus verbis quererentur, quique apud eos, qui Romae sunt in Senatu legitimis ritibus cognoscendis, de *s. Illuminati* patria tractarent. Sed Pontifex controversiae arbitros delegit Patres in sacra consilia libris aut probandis, aut respuendis adscitos, qui anno 1643 die 17 augusti statuerunt, Jacobi *historiam suspendendam*, *donec* (2) *corrigeretur*.

A. C. 1641

A. C. 1643

Scimus, minime defuisse nonnullos, qui confundunt *s. Illuminatum* nostrum cum eo, qui Reate ortus, et s. Francisci socius conclamatus Assisii anno 1266 quievit, et, juxta Ferrarium, et Brautium, in ecclesia nostra Minorum Conventualium (3). Si horum constaret opinio, illud statui oporteret, non unum sed duos fuisse inter Minoritas, qui *Illuminati*

(1) Ex lib. cons. de anno 1641.

(2) Ex decretis s. Congregat. Indicis.

(3) Ex martyr. poetico.

nomine vocarentur, quorum uterque virtutum ac sanctimoniae laude claruerit. Qui apud nos est, antiquissima gaudet publici cultus possessione, semper Benedictinorum filius fuit habitus, semperque hunc apud se natum *uti et denatum* (1) contenderunt *Septempedani.* Jacet vero in ecclesia s. Catharinae, minime apud Minoritas. Cum hinc reipublicae christianae dignitas in eo monialibus versari anno 1650 die 7 septembris maxime videretur, si novum templum coenobio adnexum a fundamentis exstrueretur, in quod sacra *Illuminati* lypsana essent illata; procuratoribus suis moniales ipsae mandarunt, ut eam curam susciperent. Re, uti desiderabatur, confecta, Caesar Cancellottus Archidiaconus templum in honorem s. Catharinae v. et m. anno 1656 die 21 novembris legitima postulatione dedicavit, et Angelus Maidalchinus Episcopus anno 1657 die 5 Junii novam *Illuminati* aram (2) sacravit. Mox dies 10 Junii ad corporis translationem deligitur, sacra Rituum Congregatione (3) ap-

A. C. 1650

A. C. 1656

A. C. 1657

---

(1) Wadingus in loco citato.

(2) Ex lib. mon. s. Catharinae pag. 100.

(3) Ex decreto S. C. R. sub die 15. novembris 1656.

Digitized by Google

probante, dies semper civibus faustus, semperque laetissimus. A Mariano etenim templo per forum ac civitatem omnem ad aedem usque Catharinianam sacra lypsana solemni pompa traducta ab ipso Episcopo, tubis tibiisque praecinentibus, intra urnam fuerunt deducta, Deo illa miraculis (1) illustrante.

Sunt qui scribunt, caput ab Episcopo in ecclesiam tum versum *Illuminatum* miro portento in coenobium (2) deinde flexisse. Quare moniales ardentiori cultu sacra lypsana fuerunt complexae, et Maidalchinus episcopus anno 1662 die 20 augusti ecclesiam ipsam (3) rite consecravit. Hinc *Illuminatum*, uti reipublicae studiosum civem, inter eos caelites sanctos, qui urbi maxime chari et probati sunt, majores nostri (4) anno 1695 habuere. Et multo sane uberius, atque prolixius idem Romano Pontifici esse faciendum Clemens XII. putavit, ex quo Cardinalis Zondadarius de *Illuminato*

A. C. 1662

A. C. 1695

(1) Ex publicis monumentis.

(2) Cancellottus in vita s. Severini lib. 4.

(3) Ex rogitibus Saccarellii.

(4) Ex lib. reform.

A. C. ea retulit, quae sibi quidem gratissima jucun-
1732 dissimaque acciderunt. Nam anno 1732 die 27 Maii voluit Clemens, cives nostros latissime scire, se *Illuminati* memoriam nullo tempore abjecturum, imo ei praesto semper esse (1) cum officio, et missa die 11 maii quotannis recitandis. Quae vero ad cives ipsos de
A. C. *Illuminati* corporis elevatione, ac flexibilitate
1750 Joseph Vignolius episcopus anno 1750 scripsit, ea legi (2) oculis libentissimis. Nihil enim, neque mirabilius per *Illuminatum* fieri potuit, neque nobis gratius et jucundius significari. Quare nulla quidem in re monia-
A. C. les *Illuminato* defuere, et templum multo com-
1769 modius, atque elegantius anno 1769 exstrui
A. C. curarunt. Cives vero in Curiam (3) conventi
1783 anno 1783 bene grati erga eum animi nova et praeclara ostenderunt signa, atque inditia: et Capitulum nostrum ei controversiae, quam
A. C. cum Patriarchio Lateranensi habuerat anno
1794 1794 ita finem, modumque imposuit, ut, *mo-*

(1) Ex decreto S. C. R.
(2) Ex tabulario episcopali.
(3) Ex lib. cons.

nasterio deficiente, (1) Catharinianum templum *cum suis pertinentiis in Septempedani Capituli* jus rediret. Tandem anno 1795 die 11 maii Angelus Antonius Anselmius episcopus sanctioribus caeremoniis illud inauguravit. Caeterum solemnia sacra, Episcopo operante cum universo Canonicorum ordine, ante *Illuminati* aram quotannis die 11 maii peraguntur, oratione ab alto recitata, et Magistratu trabea, ut in tanta hilaritate decet, exornato.

A. C. 1795

---

(1) A. P. R. M.
Hoc monasterio
Quod Deus avertat
Deficiente
Sac. aedes
Cum pertinentiis suis
Licet Sacros. Basilicae Lateran.
Donatae
Reversivo jure
Ad Septemped. Capit. spectabunt
Clem. VII. P. M. approbante
Ex pub. tab. Pomp. Servantii
Ad ann. MDXXVI.
Sacros. Basil. Lateran.
Adstipulante
MDCCXCIV.

§ V.

De Monasterio s. Mariae in Valle-Crucis

Illud constat, vel ab ipsis ecclesiae incunabulis in usu fuisse oblationes, ac eleemosinas fidelium, ut iis sacri alerentur ministri, et reliquum in pauperes erogaretur. Nil igitur mirum, si ad monasticam vestem induendam sollicitarentur a populo viri, ac foeminae praedivites, quippe ex hisce rivulis sperabatur nova irrigatio ecclesiastici aerarii. Verum placidius alii subinde divites ad ecclesiastica munera, et ad claustra allecti patrimoniis suis monachorum penus pinguius effecere: idque potissimum *Oblati* monasteriis praestare consueverunt. In ipso etenim ingressu in monasterium, aut in clerum familiare passim tum erat una cum persona bona quoque sua sacris offerre locis. Et vix ullus puer monasterio tradebatur, quin parentes oblationem monachis gratiorem efficerent donatione fundi alicujus. Ita non parum emolumenti monachi retule-

runt: ita remotioribus saeculis non urbibus tantum, sed etiam ruri, ac montibus numerata coenobia complura, eaque cuncta Benedictini ordinis, quae ferme omnia tempus, et bellorum rabies delevit. Id etiam sonat, quod nobis reliquum de monasterio s. Mariae in Valle-fucina fecit vetustas. Et nobis de eo nunc scribentibus gratum est, inibi viros floruisse, qui veluti a naufragio in finibus nostris, quicquid literarum, ac pietatis quodammodo fuit, iis servarunt temporibus, quae sui asperitate, ac boni sterilitate ferrea, malique exundantis deformitate plumbea, atque inopia scriptorum eruditi appellare consuerunt obscura.

Inter praerupta Apennini montis jugá, in aperta et amoena valle, *Fucinae* nomine nuncupata, coenobium *s. Mariae* Benedictinorum ordinis assurgebat. Ei minora sacerdotia quamplura erant addicta, ampla latifundia et jura, aeque ac castrum *Ilciti*. Neque a vero abludet quisquis opinetur, prima illius fundamenta longe ante saeculum IX. jacta fuisse. Auspicato quidem in antiquissimis membranaceis fragmentis inveni, per *Ugolinum*, *Bonomum*, *Crescentium*, et *Benvenutum* Abbates tum

maxime meliorem disciplinam in Valle monasticum institutum suscepisse. Et haec ideo adnotare visum fuit, quia membranarum usus est antiquissimus, et quia fragmenta desuper laudata remotiora sunt in monumentorum serie huic coenobio pertinentium.

Dum Henricus IV. pravis domesticorum consiliis depravatus sacerdotia pessimo exemplo habebat venalia; Joannes Abbas Vallis-fucinae cum tabulis Auximi latis anno 1058 quoddam jus *in ecclesia s. Luciae* (1) pro monachis acquirebat. Et, si Romani Pontifices severis hinc legibus cavebant, ne quisquam profanus homo nec gratis nec auro cuiquam sacerdotia, sacrosve reditus deferret, Mathilde Tusciae Comitissa arma pro iis viriliter sumente: aliquo in pretio esse videtur charta, quae inscribitur anno 1081. Constat ex ea, Amicum presbyterum Arnulpho Abbati *s. Mariae in Valle de fucina* quaedam bona (2) cessisse *in loco qui dicitur s. Helenae Cursiani* una cum ecclesia ipsa *in fundo castello Gajarini.*

A. C. 1058

A. C. 1081

(1) Ex tabulario majoris ecclesiae nostrae.

(2) Ex eodem loco.

Addormius, Guelphus antea vocatus, anno 1100 relictam ab Arnulpho sedem tenuit. Anno 1122 Joannes filius Athonis Petro Abbati Vallis-fucinae vendidit praedium (1) *in fundo s. Clementis.* Quamplura latifundia sub hoc nomine in membranaceis schedis locata esse inveni: vix tamen quidquam, quod dignum sit meminisse. Ubi Petrus mortem oppetiit, Albertus in ejus locum sufficitur. Ipse anno 1132 ea habuit rata, quae emphytheutico jure praeteriti Abbates *Grimo de Fusco* in comitatu Æsino (2) ac *fundo Limiti* concesserant. Illud additum, ut quotannis ecclesiae s. Mauritii decimatio quaedam traderetur. Hinc Severinum, et Joannem II. Abbates pietate claruisse, schedae quamplures dubium me esse non sinunt.

A. C. 1100

A. C. 1122

A. C. 1132

Lucius III., qui civili seditione ab urbe pulsus Decessorum exemplo proximis in locis primum consederat, suo cum diplomate *Veruli* lato anno 1184 II. nonas aprilis Joannem, et monachos Vallis-fucinae *sub Apostoli-*

A. C. 1184

(1) Ex actis Apollonii.

(2) Ex rogitibus Petri.

cae sedis immediata (1) *protectione recepit.* Patet ex eo quidquid monachorum jam tum honorificum erat in ecclesia *s. Exuperantii de Cingulo*, et in aliis quadraginta per finitima, et longinqua loca diffusis, et ad monasticam normam plerumque excitatis. Multas enim cellas, ecclesias, cortes, fundos, domos, et praesertim eremos *Aquaealtae*, et *Cupiglioli* passim legimus in posterioribus tabulis ad illas pertinuisse. In iis vidimus aut Conversum, aut Monachum interdum habitasse, sed saepius Priorem, et aliquot sub eo monachos, qui sibi Abbatem Vallis-fucinae patrem adsciverant, atque magistrum. Caeteri, qui sequuti sunt, Romani Pontifices haec confirmarunt. Sed aliquid etiam contulit in jurisdictionem monasterii Vallis-fucinae Bernardus Praepositus *s. Mauritii.* Annuit ipse, *Sassone* Abbate comprobante, ut Bartholus Albertutii filius libellario nomine anno 1196 quoddam praedium in comitatu Æsino retineret (2).

A. C. 1196

(1) Turchius Cam. sacr. in append.

(2) Ex actis Attonis.

Ex monumentis plurimis, quae, Innocentio III. universalis ecclesiae clavum tenente, nobis de monasterio supersunt, unum ad ejus dominatum illustrandum hic proferam. Atho Prior *canonicae ss. Quatuor Coronatorum* anno 1209 remisit Ugoni Abbati *XI. partes ecclesiae* (1) *s. Petri montis Apponi, et s. Viti, et medietatem s. Gregorii* una cum animarum procuratione. Cathedralibus enim ecclesiis passim a barbaris in Italia evefsis, ac civitatibus multum attritis, alio Clerici in communi vitam agentes se receperant, ibique, expectantes diu jacentium Episcopatuum restaurationem ab exterorum Principum incursionibus miserrime impeditam, certas sibi sedes, Prioresque suos extra urbes passim constituerant. Mox eidem Ugoni Abbati, et Albrico Priori s. Mariae *de Strata* Grimaldus Marcutii filius promisit anno 1212 *solvere* pro quodam fundo *unum Lucen., seu Ravennat.* Scheda anno 1213 exarata praesefert ecclesiam s. Stephani monachis Vallis-fucinae mancipatam: et ex alia anno 1217 obsignata habetur, Athonem Albrici transactionis causa dedisse *Priori*

A. C. 1209

A. C. 1212

A. C. 1213

A. C. 1217

(1) Turchius loco citato.

ecclesiae s. Flaviani, *nomine* etiam *Ugonis*, *recipiendi omne jus in terra dotis s. Flaviani.*

A. C. 1226

Moricus Prior *cellae Usiatae* anno 1226 Albertutio Virdianae *terram cum vinea* in emphytheusim concessit, dummodo Barthulo Abbati Vallis-fucinae de quibusdam *denariis* responderet. Ita ex tabulis latis *in Volta filiorum Claudii* (1).

A. C. 1227

Subinde Prior s. Cristophori eremi Montis Nigri anno 1227 dedit *Angelo magistro*, *et rectori hospitalis Spineti* ad annos complures libellario nomine ecclesiam s. Mariae *de Scandeluso* apud Camertes una cum *decimis*, *et oblationibus*. Rem gestam ordine describunt (2) tabulae in Cingulanorum foro exaratae. Monasterium vero s. Cristophori in agro Cingulano juris tum esse monachorum Vallis-fucinae, testantur monumenta quamplura, quae in tabulario majoris ecclesiae Septempedanae ego vidi. Satis tamen sit unicum in medium proferre, quod ex integro membranaceo volumine excerpsit Turchius (3). Con-

(1) Ex tabulario capitulari.

(2) Ex actis Joannis.

(3) Turchius loc. cit.

troversia erat monachis cum Defensore, filio Rogerii de Civitella, qui jura sua sane ditissima ad divi Cristophori extendere pro viribus contendebat. Hujus causae procuratio ab Episcopo Camerinensi, ad id specialiter requisito, demandata fuit Rambocto Archidiacono, ut jurisdictionis quaestio facilius dijudicaretur. Et revera monachis Vallis-fucinae ipse rata habuit jura, et conventiones, quas cum nobilissima gente *de Civitella* inierant, quae per eos dies florebat, et quamlatissime dominabatur. Chartis huc usque allatis aliam adjungam ab Uffredutio, et Rixabella Morici Raynaldi Gentilio eorum fratri Mathilicae datam anno 1230 die 8 aprilis. Et hic scias, Uffredutium, qui praedives tum erat, in tantum audaciae venisse, ut Ugolini II. Abbatis jura ipse decurtasset, nisi ad s. Mariae de Plano, et s. Savini Abbates, ac ad Priorem ss. Crucis Æsinae dioecesis (1), compromisso interposito, monachi nostri provocassent. Sed brevi Uffredutius ea, quae ipsi pro monasterio egerant, sustulit ac irrita esse voluit, do-

A. C. 1230

(1) Ex rogitibus Bennecasii.

A. C. 1235 nec res fuit delata ad Gregorium IX., qui suis cum literis Laterani obsignatis anno 1235 nonis octobris episcopo Humanae imperavit, ut monachorum jura assereret. Uffredutius enim minime sibi acquiescendum esse ratus, eo majori, quo poterat, studio, seu potius armis in castrum etiam Ilciti suam causam tuebatur. Ejus rei fidem facit indubiam diploma, quod legi in tabulario nostro (1) una cum sententia a Jacobo Sang. . . . Episcopo Humanae Recineti lata juxta ecclesiam s. Viti. Vix aliud quidquam memoratu dignum ab Uffredutio deinceps factum esse inveni.

A. C. 1237 Illud patet ex tabulis confectis anno 1237 die 2 septembris, cappellanum ecclesiae *s. Morici* ex consensu Alberti II. Abbatis, et monachorum Vallis-fucinae libellario nomine cessisse Jacobo Petri Albrici Ugonis quoddam *terrae petium in fundo s. Morici.* Docent abunde monumenta, quae de coenobio supersunt, quaeque brevitatis causa praetermitto, quot beneficia ex iis monachis in cives nostros effluxerint. Ipsi summo studio loca inhospita,

(1) Ex actis Pauli Raynaldi.

ac ferarum cubilia ad culturam instruxere; imo ea in fructiferos, ac interdum amoenos agros, utcumque horrida converterunt; et longum esset referre emphytheoseos tabulas initas a *Bonomo*, *Crescentio*, *Benvenuto*, *et Nutio* Abbatibus inde sublectis. Nonnulla tamen sibi locum dari omnino postulant, quae monasterii auctoritatem respiciunt, quaeque religio plane esset omittere. Praeter legum, et peripateticae philosophiae studia Itali hoc tempore in publicis Academiis operam dabant *Trivio*, *et quadrivio*. Extat apud Petrum de Vineis, libro tertio, Friderici II. imperatoris epistola ad Bononienses Professores, qua eis volumina plura transmisit, doctoribus ex diversis mundi partibus per praemiorum liberalitatem accitis. Politiores etiam literae tunc reviviscere coeperunt, et Innocentius IV., libris undique conquisitis, anno 1243 sapientissimo consilio decrevit, ut sacra praesertim studia in urbe vigerent, luculentissimis additis privilegiis. Hac igitur in literarum instauratione, monasterii Vallis-fucinae splendori non parum contulit *Bonomus* abbas anno 1245 die 3 decembris. Ipse enim ad communem monachorum commodum, et profectum intendens pro-

A. C. 1269 vidit, ut *recolligeretur una bibliotheca dicti monasterii.* Anno 1269 die 8 maii *Salimbenes Abbas* instituit *Scangnum Jacobi* rectorem ecclesiae s. Salvatoris in foro Recinatensi, eique commendavit alteram s. Philippi *in Valle.* Nec me latet, eodem anno, et die *ordinasse* Bartholum Albrici Cappellanum

A. C. 1275 ecclesiae ss. Crucis *ad obedientiam sui, suique successoris.* Idem Abbas anno 1275 die 7 augusti, annuente priore s. Joannis de Pertica (1) apud Recinatenses, *constituit* Raynaldum Albrici Cappellanum *s. Mariae de Montagnano.* Aliud quoque suppetit monumentum, quod eodem anno Laurentius Æsinae ecclesiae Canonicus, et Prior pro monachis Vallis-fucinae tulit (2) *praesentibus Ugutione Episcopo Æsino, Petro cappellano s. Joannis de Monteverlo, et Plebano plebis s. Marcelli de Melano.* Laurentium inter, et Salimbenem Abbatem causa jam erat, quam pro suis, et monasterii juribus in subjecta sacerdotia tuendis monachi sane susceperant. Quare Lauren-

(1) Ex tabulario capitulari.

(2) Ex actis Conradi Jacobi.

tius Canonicorum nomine Attonem (1) de Plano-rosario nuncium constituerat ad firmandum cum monachis novum foedus pro ecclesia s. Mauritii initum. Nec sane mirum: Abbates etenim Vallis-fucinae huc usque universa munia exercuerant ab omni Episcopi dioecesani jurisdictione exempti. Et haec quidem non exigua indicia sunt ad monasterium ipsum asserendum ex illustrioribus Piceni aliquando fuisse. *Oblatorum* frequens est mentio in ejus membranis. Ibi filii *in palla altaris* offerebantur: ibi in posterum vivere, et deservire *debebant in habitu monachorum*: ibi officia, quae olim in augustioribus coenobiis habebantur, non ingratum fuit nobis invenire: ibi tandem latissima gladii potestas minime desiderabatur. Id palam faciunt tabulae, quae sequuntur.

Homines, et terrae Castri, quod dicitur Ilcitum, ab antiquissimis temporibus sub monachorum dominatione erant. Sed quia in Italia passim tum civitates, et oppida bello inter se gravissimo detinebantur; et ejusmodi rebellionem homines huc illuc perpetui in-

---

(1) Ex rogitibus Martini Passamontis.

vicem aemuli et hostes studiose fovebant: brevi monachos inter et Castrum dissidium quoddam, atque, ut ita dicam, discordiae pomum injectum fuit. Dum igitur etiam inter nos exardescebat hoc bellum, et nefariae patrabantur caedes; Manfredus Abbas Vallis-fucinae, ut facilius obscura factionum consilia deciperet, ab ipsius Castri imperio se abdicavit, illudque anno 1298, Ramboето Episcopo Camerinensi (1) primitus annuente, magna auri vi oppidanis nostris ipse vendidit, uti fusius in capite tertio superioris voluminis. Sed ut statim novum honoris, ac dignitatis gradum Manfredo Abbati collatum fuisse monachi gratularentur; coenobio Vallis-fucinae Berardus Episcopus Camerinensis anno 1327 perpetuo addixit monasterium s. Mariani cum ecclesiis, et juribus, de quibus alio fuit sermo. Hinc nequaquam mirari subit, si brevi in publicis tabulis, et praesertim in iis latis anno 1340 Aldebrandus Abbas s. Mariae, et s. Mariani inauguratus (2) appareat. Et ut nihil fortasse

A. C. 1298

A. C. 1327

A. C. 1340

(1) Turchius loc. cit.

(2) Datae sunt tabulae *in claustro monasterii s. Mariani*, Cacciato Lippoli, et Jacobo Joannis notariis.

sit, quod indictum reliquisse videamur; silentio minime praetereundum, sequioribus saeculis, penes ecclesias Mariano coenobio mancipatas, Abbates Vallis-fucinae sacerdotes *canonice collocasse*, rationabiliter removisse, ac legitime officii interdictione cohibuisse, inconsulto Episcopo Camerinense, quemadmodum est legere in pluribus monumentis in tabulario nostro reconditis.

Tinctum *Thomae Salimbenis aliter Anvese*, Franciscum curatorem Vallis-fucinae *ex una*, et Conradum ac Gillutium Thomae Salimbene *ex altera partibus* reponam, quos transactionis scheda anno 1346 die 7 martii obsignata ex oblivionis tenebris (1) eduxit. Tinctus ipse, et Franciscus, annuente Abbate Vallis-fucinae, *fecerunt pactum de ulterius non petendo Conrado, et Gillutio de bonis Thomae eorum patris*. Certus sum etiam, anno 1360, ex mandato Nutii Guillelmi Abbatis, eumdem monachum Tinctum, et Franciscum Maxii concordiam iniisse cum Gillutio *super bonis in terra Sanctiseverini, ejusdem Castris, et villis, territorio, et districtu, et alibi ubicumque*

A. C. 1346

A. C. 1360

(1) Ex rogitibus Joannis Jacobi Bonomi.

positis, *et Thomae patri*, ac *Annesae matri* (1) spectantibus. Hinc unus post alterum in Abba-
A. C. tis locum successere Antonius, Nutius iterum,
1370 et Antonius. Anno 1370 Marcus Episcopus Camerinensis eremum s. Christophori de Monte-Nigro, atque adeo comitatum Cingulanorum ingressus est, ut afflictas eremi res tueretur. Et sane obventiones, quae ad Episcopatum suum in eremi paraeciam pertinebant, ad praefinitum tempus ejus rectori remisit, salvis juribus monachorum Vallis-fucinae, ad quos spectare sacerdotium istud innuimus. Id chartae ostendunt, quas prostare vidimus in tabulario majoris ecclesiae nostrae.

Haud multo post infensissimus ille Romanae Ecclesiae hostis Ludovicus Bavarus sese contulit in Italiam. Hinc factum, ut urbes et oppida in ipsius ducis concederent potestatem. Quae sane calamitas, uti ad multas Piceni civitates, ita ad nostram etiam pervenit. In juribus tamen vindicandis, Andreae Abbatis Val-
A. C. lis-fucinae studium minime fuit desideratum.
1382 Scripsit anno 1382 ad Jacobum Francutii rectorem s. Mariae *de Strata*, et ad Joannem

(1) Ex actis ejusdem notarii.

Bersarinum cappellanum s. Stephani *de Arsicciis*, ut earum ecclesiarum bona, in diutina vastatione ab aliis occupata, sedulo ipsi recognoscerent, ac in iis recuperandis diligentem operam praestarent. Aliae quoque adsunt chartae a *Bene*, atque *Andraea* II. Abbatibus ad alios datae, qui monachorum jura detinebant. Ex iis vero, quae per Dominicum de Tencta Abbatem gesta esse narrantur, illud assequimur, eum anno 1419 die 1 decembris dedisse in mandatis Michaeli Stephani, ut Abbatiae bona a Vollutio Baldi cive nostro direpta (1) recuperaret. Sed ea jam erant monachis tempora, ut potius rerum umbras, quam res ipsas consectari viderentur. Vix enim paucorum admodum, ac fere solius nominis coenobiorum reliqua facta erat ditio, eamque superiorum temporum clades, factiones in ipso Clero excitatae, et calamitates illae, quas aliqua ex parte in hac historia texenda fuimus prosecuti, notabilius, seu penitus absumpserant. A. C. 1419

In tabulario ecclesiae nostrae duae jacent schedae, in quibus res dictae plane confirmantur. Anno 1427 die 7 februarii Benedictus A. C. 1427

(1) Ex archivio capitulari.

de Guidaloctis Nicolaum Lemmii Abbatem Vallis-fucinae a diris exsolvit *ob moram solutionis* cujusdam auri vis in Apostolicum fiscum inferendae. Nicolaus V. Abbati s. Romualdi in

A. C. *Valle de castro* facultatem dedit suis cum li-

1449 teris Fabriani obsignatis anno 1449 nonis septembris, ut Gasparis Vigilutii Abbatis Vallis-fucinae impensius utilitati prospiceret, omnique studio elaboraret, ut eum a teterrimo aeris alieni jugo (1) liberaret. Sed vehementius ardebat intestino bello Italia, et ea, quae a Romanis Pontificibus dabantur, consilia sperni, exigi immaniter pecunias per speciem parandi belli optimus quisque conspiciebat. Dum igitur Gaspar a lacrymis abstinere nullo modo poterat, imo vaticinabatur fore, ut Vallis-fucinae coenobium brevi deficeret; scimus tamen, eum quamdam pecuniae vim in sacrum bellum contulisse, quod Pius II. adversus Turcas non minori, quam Callistus III., paraverat

A. C. cura. Hujus rei fidem faciunt literae inter nos

1464 latae anno 1464 a fratre Bernardino de Juleano, qui tum erat a vice fratris Bartholomaei de Colle, Minoritae, Pontificis commissarii

(1) Ex eodem loco.

in provinciis Marchiae Anconitanae, et Massae Trebariae (1). Post haec tempora Dionysius Benvenuti, et Benedictus de Fulgineo Abbates extitere viri maximopere commendandi, uti satis declarant monumenta, quae nobis supersunt. Sed monachorum conventus in dies magis dissolvebatur, et coenobium omnino derelictum remansit anno 1489, in quo jura et bona nostro Canonicorum collegio ab Innocentio VIII. fuerunt addicta, Liberato Baltellio-Sensinio Priore deprecante, ut in capite IV. superioris voluminis.

A. C. 1489

(1) Ex archetypo penes Severinum Servantium-Collio comitem.

§. VI.

De Monasterio in Valle sancti Clementis.

Nulla in finibus nostris pars fuit ornatior atque nobilior Valle s. Clementis: siquidem neque fuit alia forsan antiquior. Homines genere et armis perinsignes inibi floruere, et Vallis ipsa prope suo jure s. Clementis nomen sibi vindicavit monasterio et gentibus commune. Dolendum tamen mihi est non modo de superiorum, sed de nostrorum quoque temporum calamitate. Perpaucae ad nos chartae tam de coenobio, quam de Valle permanserunt. Atque utinam mihi ita arrisissent numina, ut uni tantum bonum uberius nancisci contigisset, ante me nemini! Ni felicior, certe diligentior fuissem, quam caeteri. Habeat igitur quisque de Valle et de coenobio quod reliquum nobis fecit vetustas, opus laboris atque molestiae plenum.

Pyrum, dictum etiam antiquis in schedis, *Lapirum*, *Laperum*, *Papirum* jacebat in

medio Vallis, eratque olim regionis caput. Et haec liquido ac sancte affirmo, ut omnes intelligant, nihil me de laudibus alicui detrahere. Multa erant castra, quae Turchius (1) recenset, huic Valli mancipata, natura et situ munita, rebusque satis copiosa. Iis in castris Comites ac Milites strenuissimi ad res suas communemque fortunam tuendam longe ante saeculum X. cum imperio incolatum trahebant. Inter hos illustriorem sane locum tenent Atto et Thomas, Comites Insulae Orgalis, Pyri, et Cinguli nobiles conclamati. Ex Trasmundi filiis *Dominis Castreccioni*, et Comitibus Montis Campanari inter Fanum, et Pisaurum ortum duxerat Gottibaldus ille, quem Auximi Praetorem, et Piceni marchionem fuisse censet (2) Martorellius. Hunc *Jacobo rectori hospitalis Spineti* (3) *de Cingulo, nomine et vice Dominae Catharinae Abbatissae ejusdem loci* Castreccionum vendidisse scribit (4) Ammianus. Nec minus in jure administrando, quam in armis

(1) Turchius Cam. sacr.

(2) Martorellius *ist. Osimana.*

(3) Turchius loc. cit.

(4) Ammianus *ist. di Fano tom.* 1.

agendis clari vixerunt in Valle Conradus et Gentilis de Rovellono, Rotorsii, Castellettae, Avulturis, Cryptae, Rovellonii, Frontalis, et Insulae s. Clementis dynastae. Nil igitur mirum, si ex tabulis latis anno 1199 *in obsidione Castri Pitini* notescat, homines istius Vallis (1) de pace, et foedere cum oppidanis nostris, Fabrianensibus, aliisque quamplurimis in Mathilicenses egisse, *excepto Domino Apostolico et Marchione Marcualdo*. Et id merito sane quidem evenisse puto. Ipsa enim Vallis protendebatur *a monte Suavicini infra*, *a Perello infra* (2), *a flumine Civitella filiorum Defensoris infra*, *et a monte Alvello infra*: extendebatur vero *a castro Aliphuini infra usque ad flumen Gini*, uti est legere in tabulis, quibus sub anno 1215 deditio Dominorum Casavollae Pyranae genti posteritati (3) commendatur. Firmius vero, atque efficacius nobilitatis argumentum sumi potest a Comitibus primum, deinde a Vicariis imperialibus, quos

A. C. 1199

A. C. 1215

(1) Marangonius *ist. di Civitanova lib.* 3.

(2) Turchius *ist. della Valle di s. Clemente* penes Colutium.

(3) Idem ibidem.

rem sane publicam in Valle s. Clementis tenuisse non latet. Ii proceres Regi, aut Duci in bello comites erant; ii ea dignitate honestati, quae ab ipsis principibus expeteretur. Scimus, anno 1226 Joannem de Vico in Valle Comitem gessisse. Is obsidione clausit, is armis illud Casavollae castrum oppugnavit, quod demum ferro et igne oppidani nostri delerunt. Ita habemus in actis alio relatis, et ex quibus nomen prodit Athonis Gazzonis, qui anno 1234 erat in Valle *Missus discurrens* Curiae s. Clementis (1).

A. C. 1226

Sed jam incendia, jam caedes per Fridericum II. parabantur Ecclesiae; victas jam manus dabant Picentes, et jam Vallis dynastis erat cedendum. Hinc Vicarius imperialis in Valle delectus: hinc Comites ejecti: hinc eorum bona publicata. Plures sunt tabulae hanc rerum eversionem probantes, quas omnes recensere inutile equidem foret. Unam, salva religione, minime omittam, quae habet procurationem quamdam *ad lites* coram Vicario

---

(1) Muratorius diser. VIII. antiq. med. aevi — Turchius loc. cit.

A. C. 1241 et Judicibus mox laudatis ventilandas anno 1241, super Ecclesiae clavum Gregorio IX. sedente. Iis breviter praemissis, quae ad Vallis nobilitatem referuntur; nunc operae pretium est nonnulla in medium afferre, quae monasterium s. Clementis respiciunt.

Duo erant Castra in Valle, ex antiquis etiam temporibus, in Dioecesi Septempedana, vix duo millia passuum inter se dissita, quorum alterum divi Petri, alterum Insulae dicebatur. Inter utrumque aperto in loco jacebat *Ecclesia s. Clementis*, cujus regimen obtinuere monachi s. Benedicti, dein Prior ejusdem tituli in civitate nostra, qui simul et Plebanus appellabatur. Saeculis retroactis, probe intellexi, ad hujus coenobii originem repetendam omnem mihi ablatam facultatem fuisse. Perlegens tamen ipsius Vallis monumenta desuper allata, plurimos homines, multa loca appellata esse inveni, quae sub eisdem temporis notis s. Clementis nomen praeseferunt. Haec parem coenobii antiquitatem satis indicant. Certum tamen est, monumentum quod majori polleat antiquitate, vetustam aetatem ferre, illudque unicum esse, quod et nos in divi Clementis ecclesia, gothica forma extructa, insutum con-

speximus. En verba: Ann. Domini MCCXXIII. R. F. Imperatore Tempore Honorii PP. Indictione I. (1).

Paleographiae periti vel in primis persuasum habeant, characterum formam, et literarum ductus eos esse, qui illius aetatis scripturis apprime conveniunt. Constat forsan ex illo, a monachis Ecclesiam, aut rursus aedificatam, aut meliorem in formam fuisse redactam. Sed dolendum sane, nequaquam temporibus nostris satis cautum fuisse, ne sanctissima ista antiquitatis monumenta contaminarentur. Alia tamen praesto sunt, quae ad Vallis chronotaxim illustrandam auxilio nobis fuerunt. Ea per Maurum Sartium (2) reperiuntur procusa in opere, quo verum *Cuprae Montanae* situm apud oppidum Massatiense in Piceno, plaudentibus eruditis, detexit. Ex iis apparet, quantum sibi juris in monachos Vallis s. Clementis usurpasset Benvenutus Vicarius a Friderico II. inibi dictus. Nam ipse naviter egit, ut Castra ab imperiali jugo se

(1) *Mem. stor. delle arti, e degli artisti della Marca d' Ancona del March. Amico Ricci tom.* 1.

(2) Pag. 95.

nequaquam eximerent, et monachi per eadem fusi sacramento adstringerentur de Imperatori ejusque filio Henrico fidelitate servanda. A testium dictis ad facti veritatem roborandam habemus, id inhoneste patrasse Benedictum Abbatem *s. Helenae ad oram Æsii fluvii*, qui etiam *fuit Rector*, *et Consul castri Massatii.* Neque mirum, si et idem suspicemur evenisse de monachis nostris in medio Vallis jacentibus. Ipsi in eo Divi Petri castro, quod una cum aliis legimus anno 1119 a Laurentio Episcopo Camerinensi Warnerio marchioni (1) cessum, ita erant dominati, ut eorum injussu et ipsi comites essent vetiti jurisdictionem exercere.

Id, ni fallor, per se loquitur, multo plus olim in Valle monachos in regimine potuisse, et forsan aliquandiu apud eos omnimodam potestatem fuisse, uti opinarunt nonnulli. Sed temporalis haec, quam sumus prosequuti, monachorum dominatio, quantum mihi vetera monumenta perlustranti datum est, abrogata omnino fuit, dum longe lateque diffusa factionum lues infecit Italiam omnem prorsus,

(1) Turchius Cam. sac.

ut nullum foret oppidum intactum ab ea. Civitas civitati contraria, provinciae provinciis erant adversae: familiae quoque dividebantur: nec Vallis quidem, Gibellinis praesertim addicta, teterrima caruit contagione. Hinc jura, hinc vetus monachorum patrimonium distractum, imo in Canonicorum collegium *s. Benedicti* apud nostros transfusum. Nec mirum. Istud enim in commune vitam agentium Clericorum institutum inter nos refloruerat, a ss. Romualdo, et Petro Damiano potissimum reparatum. Nec dubito, quin illud monachi s. Clementis pro viribus tuerentur in templo s. Benedicti, quod ad eos antiquitus pertinere cognovimus. Haec satis evincunt codices Curiae nostrae sub anno 1343 die 12 junii *Plebano, Canonicis, et Capitulo plebis s. Clementis, et s. Benedicti* (1) inscripti. Et id sane temporibus consonum: ii enim dicti, et habiti erant Canonici, qui Ecclesias parochiales antiquitus curabant vel urbanas, vel sin minus rurales ad capituli jus pertinentes, uti scitissime docent Thomassinius, ac Muratorius. Imo usque ab anno 1398 monumenta docent non pauca,

A. C. 1343

A. C. 1398

(1) Riccius loc. cit.

obliteratam fuisse s. Clementis primatiam, ejusque in locum suffectam Collegiatam Ecclesiam s. Benedicti. Testis est luculentissimus Nutius Episcopus Camerinensis, qui anno mox laudato (1) *Plebanum s. Benedicti*, *et s. Clementis* suum inter nos vicarium conclamavit. Literas, quae hic referuntur, alio loco congessimus.

Erat Plebani et Prioris s. Benedicti in senatu Ecclesiae Septempedanae (2) secundam honoris sedem agere. Quod, si recte video, antiquius ac magis perfectum communis vitae institutum fortasse redolet, uti Divus Romualdus exoptabat. Rei memoria mihi annales nostros pervolutanti saepius occurrit, et supervacaneum adnotare minime duxi, *Franciscum Ciptadinum Plebanum ss. Benedicti*, *et Clementis*, post Benedictum Massarellum Priorem in Canonicorum ordine adnumeratum (3), concessionem aedis Marianae anno 1523 monialibus s. Catharinae a Capitulo initam ratam habuisse. Haec ante cathedrae Episcopalis instaurationem dicenda quidem sunt de antiquis s.

A. C. 1523

(1) Consule part. 1.
(2) Ex tabulario capitulari.
(3) Ex archiv. monast. s. Catharinae.

Benedicti Plebanis; quae, licet cursim potius adumbrata sint, quam diligenter pertractata, adhuc tamen ostendunt, uni Priori majoris Ecclesiae nostrae eos secundos fuisse vel antiquitate, vel dignitate. Sed uti bella, factiones, et caedes damno fuere vel maximo monachis s. Clementis; ita Plebano, et Canonicis s. Benedicti incommoda graviora attulerunt. Hinc audio Petrum de Lunel Episcopum Cajetanum anno 1572 referentem, Canonicorum numerum (1) fuisse imminutum: hinc nulli dubium esse potest, quin legem de paraecia s. Benedicti abroganda ipse tulerit. Rem mirifice comprobant monumenta longe multa, in quibus ad annos insequentes habemus, ejus animarum procurationem Septempedano Capitulo adjudicatam fuisse. Certum tandem, Priorem aeque ac duos Canonicos in Divi Benedicti usque ad annum 1620 sacra gessisse, vicariam operam ad Divi Clementis sacerdote praestante. Nam scimus ex tabulis latis anno praedicto die 1 octobris, Priorem usu cessisse (2) Ecclesiam s. Benedicti Philippianorum colle-

A. C. 1572

A. C. 1620

(1) Ex pluteis Curiae Episcopalis.

(2) Ex rogitibus Eustachii Salvatorii.

gio, et canonicatuum census eidem fuisse adtributos, integris Priori quibusdam juribus, et quoad funebria, et quoad praeeminentias in Divi Benedicti. Priorem, et Plebanum sequioribus annis moram duxisse in civitate nostra, docet (1) decretum latum anno 1653 die 19 julii: et, nonnisi sero, sedem ipse fixit in Castro, quod nomen habet in Valle *divi Petri in costa Citrugni*, ut utar vocabulo diplomatis Lucii III. alias relati.

A. C. 1653

Antequam vero huic Chronotaxi missum faciam, recensere lubet, binas in Castro Ecclesias fuisse. Una, Divo Petro sacra cum animarum procuratione, regebatur ad nutum *antiquioris Capituli* nostri. Jura ipsa protendebat etiam in Castro *Insulae s. Clementis*, ubi promiscua jurisdictione fruebatur et Prior s. Benedicti, et Plebanus s. Clementis, qui secundam obtinebat Ecclesiam intra Castrum Divi Petri sub titulo s. Antonii cum pari animarum regimine. Ast, quia non mediocrem molestiam tam Canonicis, quam Nicolao Collio Priori sane pientissimo attulerant eae controversiae, quae his de promiscuis juribus pas-

(1) S. C. Concilii.

sim oboriebantur ; Dominicus Joannes Prosperus Episcopus anno 1776 die 31 martii, ex facultate sibi facta, Ecclesiam s. Petri Plebaniae s. Clementis, pactionibus utrimque initis, perpetuo addixit (1).

A. C. 1776

(1) Ex actis Angeli-Gabrielis Cherubini.

Digitized by Google

II.

De monasterio ss. Trinitatis in latere Suavicini montis.

Dum Ecclesia Nicolaitarum turpitudine, simoniaca sacrorum nundinatione, et Henriciana haeresi conflictabatur; quamplures eam, saeculo XI. ineunte, illustrabant strenui quidem athletae. Inter hos recensendus Petrus Damianus, qui majorem vitae suae partem in eremo Avellanensi ante pontificatum transegerat, et ipsum Avellanense institutum amplificaverat. Neque dubium, quin ipse laboraverit plurimum in finibus nostris. Nam saepe ex hominum frequentia ad solitudinem avolabat, seque desertis locis abdebat, in specubus aut cellulis delitescens, ubi vitam cum suis in austeritate peragebat. Veteris hujus Anachoreseos instituti parens fuit inter nos ipsemet Petrus *in illa eremo*, *quam*, *auctore Deo*, *in latere Suavicini montis anno* 1049 construxit, de qua sermo nunc est (1).

A. C. 1049

(1) Consule opusculum XV. s. Petri Damiani, et ejus vitam a Joanne Laudense conscriptam. — Fortunius lib. 5. hist. Camald.

Haud longe ab antiquissimo Frontalis Castro, cosmographis non ignoto, et Rovellonae genti mancipato, Suavicina eremus ss. Trinitatis (1) surgebat. Romani Pontifices quamplura bona in Auximano comitatu huic coenobio dederunt, et s. Dominicus a ferrea, qua ad carnem praecingebatur, lorica, cognomento Loricatus, ejusdem praefecturam suscepit, uti scribit Damianus in epistola XIX. libri primi ad Alexandrum II. Existimat (2) Turchius, Dominicum regimen coenobii Suavicini, si non ab ipsa eremi fundatione, saltem quamprimum a Damiano magistro suo obtinuisse: posteriori autem vitae suae tempore, anno scilicet 1056, suffecto in ejus locum Joanne, ad quem epistolam scripsit Damianus, Dominicum Avellanam regressum fuisse, in quo monasterio partim, partim et in illo *Conjunctuli* vixerit: demum ingravescente aetate denuo eremum Suavicinam petiisse, ubi Deo sanctum reddiderit spiritum. Administrationem eremi Suavicinae recepisse Loricatum annis antecedentibus annum 1056, vel 1057 probare nititur idem

A. C. 1056

(1) Bonarotus in sacro diptyco fol. 280.

(2) Turchius *vita di s. Domenico Loricato.*

Auctor ex facto Fratris pusilli animi, quem adhortatus fuit, ne immodice flagellorum dolorem metueret, et ex ipsius congressu cum Judice, qui Auximi praesidebat, pro vindicandis juribus praedictae eremi.

A. C. 1059 Sed hoc postremum factum potuit contingere anno tantummodo 1059, quo certo certius constat, Dominicum eremum montis Suavicini incoluisse. Insuper Loricati commoratio in eremo ejus montis ante annum 1056 potest aliquo modo ex Damiano inferri, ex eo quia dicat iste in epistola ad Teuzonem, aliquando a se remotum habitasse Loricatum, quod nemo vetat explicari aeque de ipsius commoratione in monasterio Conjunctuli, uti tenent Chronistae Camaldulenses. Potuit Dominicus Judicem Auximanum interpellare, quin Suavicinae eremi praesulatum gereret, hocce negotium ei ceteris fratribus committentibus, illectis ea spe, ob ejus nominis venerationem facilius sibi concessum iri, quod petebatur. E contra habemus validius argumentum constituendi, Dominicum fuisse Praesidem illius eremi anno quo Damianus Suavicinienses ad patientiam adhortatus *Dominico* scripsit, *et caeteris Fratribus*, *qui in Suavicini montis eremo commo-*

rantur. Ubi, dum Dominicum a ceteris Fratribus distinctum singulariter nominat, id se non alia ratione fecisse tacite innuit, nisi quia loci illius regimen haberet.

Obiit Dominicus pridie idus octobris in eremo Suavicini eodem anno, quo Romae erat Damianus fluctuans, et agens incassum cum Pontifice Nicolao pro abdicatione sui episcopatus, et cardinalitiae dignitatis. Narrat Damianus ipsius funus, suumque adventum praeproperum ad eremum, ubi Fratres Loricati corpus, ne a vicinis monachis eorum raperetur e manibus, in eadem, in qua defunctus erat, cellula, defossa humo, celeriter obruerant. *Nos,* subdit Damianus, *ipso die dominico, quo eremum ingressi sumus, sanctum corpus inde sublatum reverenter, ut dignum erat, in capitulo sepelivimus: et, cum nonus esset depositionis ejus dies, praedictum corpus sanum illibatumque reperimus.* Mabillonius (1) tamen existimat, Dominicum non in Suavicina, sed in Avellanensi eremo obiisse, dum scribit, Petrum Damianum paulo post ex cellula, in qua moratus fuerat, curasse in Fontis-avellanae ca-

A. C. 1060

(1) Annal. tom. 4.

pitulum Dominici corpus transferre. Jacobillius, nulla auctoritate fretus, Sitrienses monachos se contulisse autumat ad visitationem sancti viri in extremis agentis. Nihil nos moratur Ferrarii opinio, qui contra omnem auctoritatem statuit ipsius mortem ad annum 1050.

A. C. 1061

Putavit Baronius, Dominicum e vivis excessisse anno 1061. *Hoc anno*, inquit (1), *pridie idus octobris migravit ex hac vita mirificus ille magnae abstinentiae ac austeritatis vir Dominicus, Loricatus cognomento dictus, cujus res praeclare gestas scribit Petrus Damiani ad Alexandrum papam.* Ibidem addit, post annum ab obitu Rodulphi Episcopi Eugubini Dominicum esse defunctum: quod tamen corrigendum est, et dicendum, post annum ab ejus obitu Rodulphum episcopum Eugubinum esse defunctum, juxta exemplar annalium, quod propria manu Auctor ipse emendavit. Plane ad praesentem annum 1061, sequitur Baronius, rejiciendus est ejus ad Deum transitus, quem magno animi sui dolore idem Petrus Damianus post tres dies, ex quo Romam se contulit (etiam hic se correxit diligentissimus

(1) Annal. ad annum 1061.

Cardinalis obliterans quae scripserat et dicens: post tres dies, ex quo Roma Florentiam se contulit) se recepisse testatur jam praenuntiatum ab Hildebrando. Baronium secuti fuere Jacobillius (1), Laderchius (2), et quotquot vitam Dominici ex epistola Damiani transcripsere. Mabillonius (3), cujus opinionem sectatur Fleurius in historia, existimat, Dominicum obiisse anno 1062, ea ratione ductus, ut videtur, quia Rodulphum Eugubinum Episcopum defunctum fuisse anno 1063 suspicatus fuit, anno nimirum, quo Petrus Damianus Legatus ad Florentinos fuit destinatus, ex quorum urbe conjicit literas ipsum dedisse de utriusque obitu ad papam Alexandrum. At melius opinatus est idem Mabillonius (4) dum dixit, de anno, quo mortuus est Dominicus, non levem esse difficultatem.

A. C. 1062

Quo tempore in eremo Suavicina altare fuerit super Dominici exuvias erectum, defectu monumentorum nobis non liquet. Id forte contigit sub Alexandro II., suggerente et

(1) SS. Umbriae.

(2) Vita s. Petri Damiani.

(3) Mabillonius saec. VI. pag. 149.

(4) Idem annal. tom. IV. pag. 632.

stimulos addente scriptore ejus vitae eodem Damiano. Scimus, populos circumjacentes, et praecipue incolas Castri *Frontalis*, auspicem sibi eum constituisse apud Dominum. Sacra ejus lypsana nunc publicae adorationi adservantur in parochiali ecclesia s. Annae Castri *Frontalis*. Anno 1302 ad aedem et altare ejus nomine dicatum translata fuere, uti vetus docet (1) inscriptio. Adhuc devoto populorum concursu frequentatur templum haud longe ab antiqua eremo excitatum in ipsius Loricati obsequium. In visitationibus Septempedanorum Antistitum, quorum dioecesi antiquitus assignata fuit eremus Suavicina, repertum fuit corpus, et (2) pluries recognitum. Temporibus anteactis in supplicationibus deferebatur parvum missale, quod Dominico, ut communiter creditur, dono dederat Petrus Damianus ad

---

(1) Sub anno Domini millesimo
trecentesimo secundo tempore
D. Bonifacii papae octavi
mense Februarii die undecima
translatum est corpus B.
Dominici

— Cancellottus in vita s. Sev. lib. 4. cap. 15.

(2) Turchius loc. cit.

usum eremi Suavicinae. Exemplar fidelissimum ejusdem sacramentarii, uti alio innuimus, prostat in annalibus Camaldulensibus una cum notis eruditissimi Turchii. Concessum fuit etiam Septempedanis, ut Dominicum colere possent ad diem XVII. octobris officio ac Missa, prius sub ritu *semiduplici*, mox *duplici minori cum lectionibus secundi nocturni* (1). Caeterum ex Loricati exemplo, nec non Romualdi, et Petri Damiani hortatu, constitutae fuere per Italiam Sodalitates piorum hominum, qui poenitentiae causa vulgo *Disciplinanti* appellati fuere, ut post Thiersium (2) observat Paciandus in suis de cultu s. Joannis Baptistae antiquitatibus christianis.

Non sum equidem nescius, eo tempore, quo Damianus congregationi praefuit Avellanensi, non solum institutum ipsum magnum habuisse incrementum, sed coenobia ipsa solertissimis animarum curatoribus plurimum floruisse. Nil igitur mirum, si animarum procurationem Suavicinos monachos, vivo adhuc Damiano, gessisse teneamus. Quod vero coe-

(1) Ex decretis S. R. C. 12. Septembris 1761. 19. februarii 1794.

(2) Pag. 23.

nobium ab Avellanae jurisdictione esset immu-
A. C. ne, id firmo nititur talo. In diplomate ab In-
1139 nocentio II. anno 1139 lato pro monasterio Avellanensi, et ab Ughellio edito, Ecclesiae eidem addictae describuntur, quin de eremo Suavicina occurrat mentio. Imo quibusdam in tabulis mox afferendis auspicatum esse inveni Suavicinae eremi Priorem Jacobum *Dei gratia* (1), quae quidem verba apud monasticae rei cultores indicant satis, eam sui juris omnino fuisse. Unum insuper est, quod rationem nostram roborare posse videtur, congregationem Fontis-avellanae anno 1569 penitus desiisse, et Suavicinam eremum multo ante ex-
A. C. tremo suo fato cessisse, uti infra innotescet.

1218 Anno 1218 monumentum assurgit, eremum inter et moniales s. Catharinae de Cingulo plures jam annos litem fuisse obortam super juribus Ecclesiae s. Salvatoris de monte Alvello (2), et operam dedisse Philippum Priorem ss. quatuor Coronatorum de Cingulo, ut pro utriusque coenobii commodo ea controversia componeretur. At, ne monialium jura,

(1) Turchius eodem loco.

(2) Idem Cum. sacr.

quae optima erant, supprimerentur; Honorius III. suis cum literis Romae datis (1) apud s. Sabinam VIII. Kalendas martii moniales apostolico patrocinio communivit. Eodem quo diximus anno, Atto Episcopus Camerinensis (2) prope Buraci nemus inter Pyrum, et Cingulum ecclesiam divo Bartholomaeo sacram erexit, cui hospitium erat, quod lepra laborantibus esset usui, atque praesidio. Hoc Suavicinienses monachi in eremi dominatu assurgere putabant. Res Sylvium hospitalis curatorem vehementer commovit; et, cum monachi sua asserere jura contenderent, dudum in judicio fuit disceptatum, et testes inducti. Hinc Honorium III. ipsi consuluerunt. Sed Pontifex nihil sane duxit praeter unum, ut Priori ecclesiae nostrae, et Thomae ac Doriberto Canonicis Auximanis, quos judices anno 1227 suis cum literis Laterani datis II. nonas octobris (3) legaverat, praesto essent, eisque parerent rebus in omnibus. Viderunt ipsi, quid cuique erat aut tribuendum, aut negandum, et plane et bene monachos monuerunt, ut hospi-

A. C. 1227

(1) Idem in vita s. Dominici.

(2) Idem ibidem.

(3) Idem ibidem.

A. C. 1230 talis moderatori damna rependerentur. Et reapse anno 1230 cum tabulis (1) in ecclesia s. Severini latis causa optimis fulta rationibus cessit pro Sylvio et Ranaldo. Pii enim operis auctores, praeter operam curamque multam, ex suis facultatibus plurimum etiam in Buraci Xenodochium contulerant. Episcopus Camerinensis eorum studia aemulatus, illud amplis ornaverat privilegiis. Sed fratres et mulieres, quibus Nosocomii cura tradita fuerat, ut tutius viverent, se suaque Cingulanorum clientelae statim commiserunt. Attamen paulo A. C. 1248 post hospitium traditum fuit regendum fratribus Cruciferis, et tandem anno 1248 die 15 octobris monialibus s. Catharinae de Cingulo, Innocentio IV. annuente (2).

Et quamvis Clementi IV. eadem fuisset mens, idem animus, qui antea Honorio fuerat, ne lites inter monachos Suavicinos et moniales s. Catharinae iterum existerent; res tamen aliter cecidit. Nam quod pacate actum nuper confectumque fuerat, recruduit denuo. Imo homines nonnulli, qui nihil nisi bella medi-

(1) Ex rogitibus Joannis.

(2) Turchius Cam. sacr.

tabantur, Buraci opibus inhiabant. Itaque Pontifex non potuit assentiri his quidem rebus, quas in monialium perniciem videbat reversuras. Eam ob rem diligentissime ad Episcopum Auximanum, et M. Veronensem, electum Marchiae Anconitanae rectorem, scripsit anno 1268 sub datum Viterbii VIII. idus octobris, ut (1) *Abbatissae et conventui monasterii s. Catharinae* opem ferrent ad repellendos conatus, quos eidem in juribus intulerant *Prior . . . . de eremo sancti vicini*, *Pulces de Æsio*, *Defensor de Civitella*, *milites*, *Cunradus de Accola*, *Benvenutus dictus Attognone*, *Albritonus de Staphulo*, *et Gualterius de Montoinclaini*. Quod si rem perficere Episcopus et Rector non possent, utrique partium voluit Pontifex ut mandarent, ab altercationibus per censuras abstinerent, quoad ipsi, testibus auditis, statuere quae essent aequa potuissent. Quae memoratu digna esse duxi: nam patet ex iis, eremum Suavicinam jura per haec tempora ita exercuisse, ut monachi nihil essent desideraturi eorum, quae per se parari conficique possent. Nec plura

A. C. 1268

(1) Idem in vita s. Dominici.

innuam ; quum res satis ipsae per se loquantur.

Quod vero ad monachorum numerum spe-
A. C. ctat, sic statuo, eum perbrevem minime fuis-
1275 se. Ex syngrapha (1) obsignata anno 1275 nomina assurgunt Jacobi *Dei gratia* prioris, Munaldi, Argevini, Severini, Philippi, Simonis, Crescentii, et Simonis, qui eremi curatori dederunt in mandatis *ad faciendum Comuni castri Pyri...finem et de debito XXVII. librarum, et de expensis legitimis.* Neque eos ita desides fingere nobis possumus, ut neglexissent ea scripta relinquere, quae eremi jura utcumque respicerent. Perpaucae tamen ad nos chartae pervenerunt, dum alias putamus temporis decursu, vel alio asportatas, vel igne absumptas, vel deperditas. At aliquid repetendum, si caetera desunt, ex diplomate Ur-
A. C. bani VI. sub *datum Romae apud s. Petrum* II.
1380 Kalendas novembris anno 1380. Intellexerat ipse, nonnulla Suavicinae eremi *jura decimas terras grancias molendina* ab aliquibus impudenter retineri. Non potuit idcirco Romanus Pontifex viris in sua et Ecclesiae fide degen-

(1) Ex actis Bartholutii Albrici.

tibus, opemque suam implorantibus, deesse, et mandavit *Priori saecularis Ecclesiae Sanctiseverini*, ut, quae ablata essent, ea curaret, ut restituerentur. In quo si negligentes, quod nollet, raptores ipsi fuissent; Prior afflictis monachorum rebus (1) accurreret. Ast ego non dubito, neque quisquam recte sentiens existimare aliter potest, quin perpetuae hujusmodi lites in eremi excidium tandem aliquando essent evasurae. Et quamvis constet ex tabulis (2) latis anno 1393 die 31 Januarii, Joannem Priorem eremi Suavicinae adiisse Ecclesiam s. Salvatoris extra moenia Pyrani oppidi, ut futuro rectori, a monachis inaugurando, integra traderentur jura quoad animarum procurationem: et quamvis idcirco innotescat, Suavicinum coenobium per hosce dies adhuc viguisse: attamen, saeculo XV. ineunte, certiores facti sumus, eam sane defecisse eremum, quam praecipuo semper amore complexus fuerat Damianus.

A. C. 1393

Hujusmodi vero defectum rejiciendum esse teneo ad illud temporis spatium, quod ab

(1) Ex tabulario capitulari.

(2) Ex actis Antonii Joannis notarii Pyrani.

anno 1414 ad 1441 commeare dignoscitur. Scimus, Gregorium XII. nihil eorum praetermisisse, quae ad ornandam Abbatialem Ecclesiam s. Nicolai apud Auximanos conferre, juvareque poterant, et ideo eidem Abbatiae anno 1414 addixisse bona et jura ad Suavicinam eremum, in Auximano agro tantum, pertinentia, uti docet (1) Martorellius. Imo hoc monachorum nunquam satis deplorandum infortunium longe tutius, proniusque firmatur anno 1441. In tabulis obsignatis anno mox recensito Turchius testatus fuit, se ita legisse in quadam scheda - *actum in castro Frontalis districtus Sanctiseverini, domoque monasterii ss. Trinitatis eremi Suavicini montis* (2) *praesentibus fratre Amato de Civitate Castelli eremitano sub habitu B. Francisci in dicto monasterio tunc degente, et Christophoro Vitalis Tincti* - De hujusmodi solitariis viris poenitentiae studio addictis, qui in eremis, monachorum vice, degere solebant, quique saeculo potissimum XIV. et XV. frequentissimi erant, maxime apud Picentes, et Umbros, historiae satis loquuntur.

A. C. 1414

A. C. 1441

(1) *Ist. di Osimo lib.* 4.

(2) Turchius in vita s. Dominici.

Post id temporis usque ad annum 1541. Suavicinae eremi cujusmodi status fuerit, incomperta omnino res est, nisi sit censendum, eremi praefecturam gessisse Clericos saeculares. Et revera habemus anno desuper allato, Joannem Baptistam Benium Suavicino prioratu honestatum fuisse. Huic successit Cosma nepos, qui fuit denatus anno 1568. In Cosmae locum fuit suffectus Joannes Andraeas Lelius. Praefecturam inde gessit Zenobius Lelius, qui anno 1581 decessit. Dein voluit Gregorius XIII. ut Petrus Matthaeus Arestius Prior inauguraretur. Ei Pontifex indulsit, ut animarum procuratio, quae eremo adhuc inerat, quamque anno 1579. Andreas Gilius in ecclesia s. Annae castri Frontalis exercuerat, a Suavicina eremo (1) penitus disjungeretur, Vicario *perpetuo summa ducatorum centum* (2) quotannis tributa. At sicuti visum fuit anno 1595, ex decimationibus Vicario addictis recensitam pecuniae vim minime exigi; Horatius Martiarius Episcopus decrevit, ut ex Priorali censu (3)

A. C. 1541

A. C. 1568

A. C. 1581

A. C. 1582

A. C. 1595

(1) Ex visit. Alphonsi Bennarinii ep. Cam.

(2) Ex literis datis anno 1582.

(3) Ex literis Clementis VIII. 1595. die 12. Junii.

annuatim in mense septembris eidem Vicario
A. C. scutata quadraginta libere persolverentur. Obla-
1621 tum sibi a Gregorio XV. prioratum anno 1621
Gregorius Arestius admisit. Mox Angelus Gio-
rius ab Urbano VIII. Prior aeque ac Cardi-
A. C. nalis fuit salutatus. Innocentius X. jussit an-
1644 no 1644, in eremi Suavicinae juribus subro-
gari Antonium Franciscum Giorium Cardinalem.
Postquam ipse vitam cum morte commutavit,
prioratus diu fuit sub fide Francisci Maidal-
chini, qui Cardinalem gerebat, ac deinde Mar-
A. C. celli d'Aste Cardinalis pariter et Episcopi An-
1709 conae, qui vivis fuit ereptus anno 1709. Cle-
mens XI. voluit, ut Marcello successor dare-
tur Becchettius Antistes urbanus. Hinc Suavi-
cina jura commendata fuere Nicolao de Judi-
A. C. cibus Cardinali, et Carolo Calcagninio eadem
1746 dignitate fulgenti. Hic anno 1746 decessit, et
1774 in ejus locum Jacobus Oddius Cardinalis a Be-
nedicto XIV. fuit suffectus. Munifici mox Prio-
res extitere Marius Marefuscus, Octavius Man-
cinfortis - Sperellus, et Philippus Campanellus
Cardinales amplissimi. Pro eremi dignitate plu-
rima atque maxima tandem fecit Camillus Cam-
panellus Episcopus Perusinus, ultimus Prior.

III.

De Cruciferorum Hospitiis.

Post datam a Constantino Magno (1) pacem Ecclesiae jam invalescere coeperunt christianae charitatis domicilia, atque aeraria. Ferreis quoque saeculis tanta fuit in pauperes hominum munificentia, ut certe tempora nostra conferre cum iis aeque non possis. Loca siquidem erant pro aegrotantibus, erant pro hospitibus sive peregrinis, erant pro invalidis ac senibus. Certabant in Italia Principes, et praesertim Monachi, ut ejusmodi perpetuae charitatis officinae in urbibus, in pagis erigerentur. Imo etiam apud saecularium hominum Sodalitates alia in pauperes liberalitatis officia longe majora, quam nunc, et uberiora tunc erant: quod certe dicere pudet, tacere tamen non juvat. Hinc quatuor sacrae militiae Ordines, peregrinorum hospitio, et sacrorum tutelae destinati, rem christianam in Asia, atque Europa

(1) Leg. 46. — *Sancimus si quis* —

impensius sunt secuti, et Cruciferorum familiae passim in Italia sub (1) Innocentio III. refloruere. Quam igitur civibus nostris probata esset remotioribus saeculis Cruciferorum in peregrinos observantia, liceat colligere ex iis, quae auspicato quidem inveni.

Barbaricis saeculis minime in usu fuisse videntur publica hospitia, ubi coenarent et cubarent sua pecunia peregrini. Caruerunt iis Graeci, et Romani primis ab urbe condita temporibus. Diversoria tunc apud amicos quaerebantur, et ea de causa institutae hospitalitatis (2) tesserae. At subsequentibus saeculis hic piae hospitalitatis usus ob diversoriorum defectum invaluit ita, ut pauca, ne dicam nulla, monachorum essent aut Canonicorum collegia, quibus munus recipiendi peregrinos non injungeretur, et census in idem opus non affluerent. Et sane hospitum nomine divites etiam designabantur, qui hospitio indigebant, dum erant in itinere. Ad haec et majores nostri in suburbiis hospitales Cruciferorum aedes,

(1) Benedictus Leonius.

(2) De hisce tesseris vide Thomassinium plura scribentem.

aliisque in locis, (1) ex more temporum, aperuerunt.

Explorata omnino res est, Cruciferorum domum ad Divi Pauli extra moenia oppidi no-

---

(1) A vetustis temporibus hospitale domicilium ad Peregrinorum receptionem in *Martiniano colle ad Villam Septempedae* majores nostri excitarunt. Hoc est illud Hospitium, cui Albricus Bartholomaei Actonis Albrici nonnulla in beneficium peregrinorum contulit anno 1237. die 4. Julii. Videant eruditi cives chartam, quam in tabulario capitulari legere mihi contigit latam *ante Domum Domini Foresi.* — *Ex rogitibus Grimaldi* — Fuerunt etiam antiquitus in *Suavicini*, ac *Montis Acuti* jugis Leprosorum domus: nec fuerunt quidem neglecti a Christiana pietate pauperes a morbis afflicti. Sed simul opinor cum Muratorio, perquam rara fuisse publica Valetudinaria, qualia nunc complura tanta cum laude in singulis Italiae civitatibus, atque extra Italiam conspicimus. Nam horum usus potissimum invaluisse videtur post annum Christi millesimum. Imo in ipsa Mediolanensi urbe saeculo XI. nullam Nosocomiorum mentionem invenit idem Muratorius. — *Ex hist. Landulphi senioris edita a Murat. tom. IV. rer. Ital.* Sub Innocentio III. novimus, excitatum Romae fuisse sancti Spiritus *in Saxia* ad aegrorum levamen domicilium. Nec juvat cum eodem Muratorio excurrere per singula loca: vix ullum invenias, cujus originem supra septingentos annos producere possis. Nam etsi vel antiquis saeculis Nosocomia aliquot Italia quoque habere potuerit; pleraque tamen barbaricis temporibus deleta fuisse videntur, atque in eorum locum alia sensim successisse tantummodo post saeculum a Christo

stri saeculo XII. opibus abundasse. E quamplurimis vero documentis certi reddimur, ecclesiam ipsam multo equidem ante Cruciferos extitisse. Qui autem Xenodochii auctor fuerit,

---

nato decimum. Fuerunt etiam antiquitus nostro in oppido *pauperum Domus*, *et Via in quarterio Ecclesiae s. Marci*, *quae erat de mensa Canonicorum.* — *Ex invent. rerum, quae habebat Ecclesia major s. Severini longe ante annum* 1328. — Hoc ipso in officio cum aliis inter nos certasse videas ipsa etiam Virginum Deo sacrarum coenobia. Producam chartam anno 1385. die 3. Januarii a Benedicto Episcopo Camerinensi obsignatam, in qua Oratorium *B. Agnetis*, *et B. Elisabeth* fundatur *a Mite de Tolentino*, *et Paulina de Sanctoseverino* una cum *Xenodochio* ad egenos, vel pauperes recipiendos. — *Ex arch. cap.* —

In omnibus ferme Italiae civitatibus, teste Muratorio, saeculo X., ac duobus subsecutis, nullius piae *Confraternitatis* memoria certa, aut nomen se nobis offert, quod sciam. Statuendum tamen eidem Scriptori videtur, vel sub Carolo Magno Augusto, atque ante annum 800. fuisse piorum hominum *sodalitates* inter Christianos. Et sane ejusmodi *Fratrias* anno 852. certe coivisse, disertissime quae apud Labbeum *tomo VIII. Conciliorum* adnectuntur, evincunt. Ad *Flagellantium* novitatem appellatam *Batimentum*, seu *Verberamentum* — *Tom. VIII. rer. Ital.* — referenda est origo piarum Confraternitatum apud Patavinos, qui ante annum 1260. se in libertatem asseruerunt. Ritus iste ex urbe in urbem delatus, turbinis instar, totam brevi implevit Italiam, imo et ultra montes pervasit. Quare in aedem sibi constitu-

et quo potissimum anno illud erexerit, incompertum nobis esse sinamus. Actolinus Cruciferorum Prior una cum Albrico Rollantii Abbate

---

tam homines flagellis armati, certis diebus ac horis convenientes, et misericordiam Dei implorantes, caetera pietatis munia obibant. Anno 1399. majori etiam — *Tom. XIX. rer. Ital.* — populorum commotione laudabilem hunc devotionis aestum renascentem vidit Italia. Tunc etiam apud nostros institutae fuerunt *Sodalitates*, ut alias omittam, *s. Crucis* in Ecclesia s. Francisci, et *s. Antonii* in Ecclesia s. Marci (quas anno 1443. unitas reperio in ultimis tabulis Barthuli Thomasutii), quaeque, uti memoriae prodidit Guilelmus Cicchius in testamento lato anno 1399, proxima habebant aedibus *Nosocomia*. Ex eadem scheda addiscimus, cives etiam nostros una cum Antonio Honuphrii (Smedutii), et Guilelmo, erecto Crucis vexillo, *cum vestimentis albis ad sanctam Mariam de Angelis* apud Assisienses fuisse profectos. Nam alter tum populus, ex *Flagellantium* more, ad aliam conterminam civitatem eumdem traducebat poenitentiae modum, et pacem, ac injuriarum remissionem implorabat.

Incertum est, ait Muratorius, quem morem sequuti fuerint Itali, regnantibus Longobardis et Francis, in excipiendis *pueris ab incertis parentibus ortis*; aut ab inhumanis parentibus expositis. Vidimus memoratas in Codice Justinianaeo pias aedes, ubi infantes alebantur ex fidelium munificentia. An illuc deferrentur tenelli foetus a matribus projecti, nondum agnovi. Mos iste alendi pauperes infantes, an ex Oriente in Italiam primis ecclesiae pacatae saeculis invectus fuerit, quasve radices heic egerit, veterum monumenta, quae norim, non produnt. Hujusce institutionis exem-

A. C. 1220 monasterii *Dolii* inter testes prodit (1) in tabulis apud hospitale s. Pauli anno 1220 die 2 octobris latis, in quibus *Dominus Albertus de Lornano filius Carbonis* quamplura bona Bonfilio Abbati s. Mariani, *excepta paterentia* in ecclesiam, vendidit. Quod vero ex universo Canonicorum ordine in Cruciferos fieri poterat, id ratum Marcellinum Priorem majoris ecclesiae nostrae, et Conradum e Camerino Canonicum habuisse intelligetis. Ipsi enim Boniscentio Cruciferorum Priori cesserunt *cappellam* s. Severini de Ponte, et, praeter operam curamque multam, ex Capituli facultatibus plurimum etiam eam in rem contulerunt. Nam et locum esse liberum a Canonicorum potestate

---

plum etiam inter nostros occurrit longe ante saeculum XV. Et cives anno 1489. — *Lib. cons.* — impensius adlaborarunt, ut infantium expositorum locus apud Sodalitatem *Disciplinantium* in sacra Misericordiae aede jam constitutus servaretur non solum, verum etiam augeretur. Ii enim edixerant, ut nutricibus debita merces ex reliquarum Sodalitatum aere in posterum solveretur. Mox totus fuit Bernardus II. Episcopus Camerinensis, ut eadem laicorum collegia facilius, ferventiusque expositis deservirent. Cavit ipse anno 1548., ut hospitalarius communi Fraternitatum pecunia aleretur. — *Lib. cons.* —

(1) Ex actis Grimaldi.

voluerunt, et fratribus loci curatoribus permisere, ut aedificia suis et pauperum et peregrinorum usibus necessaria habere inibi possent. Mandarunt etiam, ut *juribus parochialibus* extra oppidum Cruciferi tantum operarentur, quin *ullo tempore recipere ad sepulturam* possent *parochianos dictae cappellae*, vel ecclesiae majoris s. Severini. Ne quid autem Canonici capere detrimenti viderentur, ecclesiam *s. Mariae de Charitate ex ordine Cruciferorum* sibi servaverunt aeque ac CCC. libras Ravennae, et Anconae in bonorum permutationis integrum. Perusiae datae sunt literae (1) in templo s. Herculani anno 1265 die 20 novembris. Hinc Clemens IV. suo cum diplomate scire omnes voluit, Canonicorum istud in Cruciferos studium sibi plane gratum accidisse, uti notat Turchius.

A. C. 1265

Consueverunt sane Romani Pontifices, et Episcopi, ut charitas et beneficentia in pauperes propagaretur, piis hisce locis patrocinium suum impendere, eisque privilegia passim impertiri. Quare ab Episcopis etiam Camerinensibus Cruciferi nostri in dies cogno-

(1) Ex tabul. Cap. —

scere potuerunt, quam ipsis grata, quamque jucunda esset diligentia, alacritasque eorum in parandis, promendisque iis, quae opus erant ad peregrinos, egentesque sublevandos. Satis sit dicere, Ramboctum, qui apud Camertes praesulatum satis diuturnum fuerat auspicatus, quique ecclesiasticam disciplinam optimis legibus fulsit, *ad hospitalis honorem augendum* beneficentiam suam erga Cruciferos ostendisse. Ipse inter caetera anno 1293 die 17 februarii suis cum literis Monticuli datis (1) spiritualibus indulgentiarum beneficiis cives allexit, ut Cruciferorum studia juvarent. Sed prospexit etiam hospitalis s. Severini de Ponte (2) securitati Andraeas Ortanellius, judex inter nostros constitutus pro *Domino Ugolino Rayneri Ugolini* Praetore. Ipse iterum cavit, ut bona, quae cum Canonicis permutata diximus, certa et tuta servarentur. Et id mihi accidit sane gratissimum. Complectitur enim scheda praecipua rerum capita, quae Perusiae, vel ad sacrorum religionem, vel ad hospitalis

A. C. 1293

(1) Turchius in app. — Ex tabul. cap.

(2) Nunc Ecclesia s. Francisci de Paula.

jura, fuerunt invicem firmata. Charta dicitur exarata in Divi Pauli anno 1296 die 14 julii, curante Fratre Francisco *Priore hospitalis s. Severini*, praesentibus Fratre Jacobo *Priore hospitalis s. Pauli*, Bernabeo, Joanne, et Thoma ordinis Cruciferorum (1). A. C. 1296

Sed jam generosorum parentum cura optime in bonis moribus, et virtutibus educatus fuerat Jacobus de Procatiis. Viridem aetatem agens divinis humanisque literis vacaverat accurate. Ejus doctrinae opinione adducti Cruciferorum Fratres inter sodales ultro cooptaverant. Hinc totius ordinis moderator extiterat. A Bonifacio IX. anno 1397 ad Sarsinatensem infulam electus, anno 1398 ea dignitate libens volensque se abdicavit. Quare domum reversus Cruciferorum rebus interfuit, non minori in Fratrum hospitio utens modestia, quam antea in Episcopatu fecerat. Semper in victu parcus est habitus, ab omni pompa et inani gloria alienus. Brevi cives eum in Beatorum album retulerunt, eumque ad diem XXV. julii, qui ei in Divi Pauli sacer erat, per saecula coluere. Sed de eo haud segniter deinceps A. C. 1397 1398

(1) Ex tabul. cap.

fuit actitatum: et anno 1656 die 10 junii Cardinalis Sacchettus Episcopus Sabinensis, et S. R. C. Praefectus (1) mandavit Angelo Maidalchino Episcopo, ut *arcula cum corpore Servi Dei Jacobi Cruciferi ab altari*, *super quo collocata* reperiebatur, nulla mora interjecta, *amoveretur*. Et quidem die 23 octobris ejusdem anni (2) Caesar Cancellottus Archidiaconus, et Episcopi a vice sacra *arculam* una cum lypsanis, et antiqua scheda chartacea - *S. Jacobi* - nomen praeseferente ad sacrarium transferendam curavit. Ita pristinam erga Jacobum religionem apud nos obsolevisse comperio: ita ejus latuit corpus, et adhuc latet in Divi Rochi, Jacobo Ranghiascio Episcopo jubente. Ejus nomen occurrit in actis Antistitis Martiarii ad annum 1594. Ejus etiam meminit Mutius Achillaeus, Ughellius, Valerius, Joannes Baptista Cancellottus, Turchius, aliique (3).

Dum etiam, Jacobi nomine, omni Cruci-

---

(1) Ex epistola in Arch. Episc.

(2) Ex rogitibus Joannis Baptistae Saccarellii.

(3) Ex lib. diversor. apud Ranaldium — Ital. sac. — *Istoria Settempedana ms.* — *Vita di s. Severino* — Cam. sac. —

feros liberalitatis genere excipiebant oppidani nostri; eorum Priores anno 1398 idonei visi erant, ut Ecclesiae Septempedanae pro Episcopis Camerinensibus administrationem (1) susciperent. Ita opes in utroque hospitio ad subsidium pauperum et peregrinorum destinatae mirifice etiam creverunt. Sed brevi, Smedutianae gentis libidinem atque avaritiam plus aequitate ac justitia valuisse, Cruciferi ipsi viderunt. Imo precario se in oppido nostro sedere rati ipsi sunt, et civium beneficio tenuem veteris hospitalitatis umbram tueri incassum, ex quo insessum Sfortianis militibus iter fuit. Excidium, cui reparando Pontificiae vires minime pares erant, nullo negocio ex Cruciferorum familia Antonius de Saxolinis, Prior s. Pauli, et s. Severini de Ponte, prohiberi posse cognovit. Nam ipse usque ab anno 1428 eum ordinem erat professus; et Martinus V. suis cum literis Romae latis apud sanctos Apostolos V. idus Aprilis in mandatis dederat (2) Abbati s. Mariae, et s. Mariani de Valle-fucina, ut jura *altaris s. Blasii et Cappellae B. Mariae de*

A. C. 1428

(1) Consule partem primam.
(2) Et tabul. capit.

Misericordia ab Antonio relicta Ludovico Caccialupo Canonico diligenter commendarentur.

Hinc Cruciferorum praefecturam gessit Julianus, quem ex Dominiciana gente ad Hospitalariorum ordinem transtulit (1) Eugenius IV. anno 1431. Ipse anno 1434 inimico ferens animo, depopulationem et vastitatem ab Antonio Smedutio civibus inferri; populum in consilium acciri jussit, nec, ut alio diximus, coenobium s. Francisci a caede et injuria prohibuit. Extant literae Jordanis Cardinalis Ursini Episcopi Sabinensis latae anno 1435 III. kalendas septembris, in quibus Pandulpho Episcopo Camerinensi commissam legimus a Pontifice Juliani absolutionem Florentiae degentis. Et quando homines in Romanae Sedis perniciem abrupti rem publicam in extremum discrimen adduxerunt; et quando Vicarellus Prior vitam cum morte commutavit; Cruciferorum ordo circa annum 1470 in oppido omnino defecit. Tum Romani Pontifices, ne eorum jura perirent, commendata, atque invicem unita cum hospitalitatis onere Clericis saecularibus (2) tradidere.

A. C. 1431

A. C. 1434

A. C. 1435

A. C. 1470

(1) Ibi — Turchius Cam. sac.

(2) Tambur. de jur. Abb. disp. 4. quaest. 2. n. 6.

Primus, qui procurationem istam apud nos faceret, fuit Alexander de Ægydiis, qui in Romana aula perhonorifice versabatur. Curam inde suscepit Franciscus Andraeas Lucentinius de Piccolomineis, Archidiaconus Ecclesiae Aquilanae. Hinc Alexander VI. illud dignitatis anno 1497 tradi voluit Antonio de Boccauratis. Antonius senio confectus anno 1524 commendam sibi traditam Hieronymo de Boccauratis sponte remisit. Eum Dominicus tituli s. Clementis Presbyter Cardinalis in fidem receperat, doctum sane hominem, et agendis rebus in primis idoneum, eumque in paternae charitatis sinu Clemens VII. jam collocaverat. Hieronymus anno 1546 curavit, ut Priorem gereret Joannes Franciscus nepos, quem in actionibus publicis legimus (1) tertium, ex more antiquissimo, locum inter Canonicos nostros retinuisse. Huic successere Severinus, et Petrus Antonius de Boccauratis. Et quia Pontifices auribus libentissimis audiebant Angelum (2)

A. C. 1497

1524

A. C. 1546

(1) Ex arch. capit.

(2) Confer elogium historicum Angeli Massarellii Episcopi Thelesini a me italico sermone scriptum, atque editum anno 1837. Maceratae.

Massarellum, et Antonium Ugolinum, claros et excellentes cives; curarunt, ut ipsi diversis temporibus de hac dignitate honestarentur. Mox Laurentium Laurum vidimus Priorem designatum. Is familiaritate erat usus Cardinalium Jacobutii, Alphonsi Neapolitani, Vitellii, et Boncompagni; eumque viderant amantissime Paulus III., Julius III., et Gregorius XIII. Ast, quia Laurentius amore summo complexus semper fuerat Virgilium Servantium nepotem, summoque studio ornandi eum tenebatur; omnem curam adhibendam statuit, ut ad id sacerdotium sublegaretur Virgilius anno 1587. Is ne latum quidem unguem recedens a literarum semitis, quas alacri pede calcaverant Ticini Alphonsus, et Patavii Antonius Franciscus ejus fratres, quam maxime claram nominis sui memoriam effecerat Romae. Dum enim Alphonsus dictus adjutor sacri imperii a Bonifatio Cajetano Cardinali, et Antonius Franciscus modo ab episcopo Trevicano, modo a nostro amplis muneribus cumulatus aperte testabantur, se ad hoc in lucem prodiisse, ut majorum gloriam aemularentur; Virgilius a Hieronymo Roboreo Cardinali summis honoribus decorabatur. Verum, ubi in patriam fuit ipse reversus,

A. C. 1587

ut domestica negotia curaret, Canonicatu etiam auctus ecclesiam ipsam liberalitate, moribus, et doctrina ad extremum usque vitae halitum decoravit. Et sane ipse curaverat, ut a civibus nullae offensae, quoad onus hospitalitatis in receptando peregrinos et pauperes Prioratui adhuc adnexum in aede s. Severini de Ponte, exercerentur. Ideo petierat ab Episcopo Martiario, ut *Fraternitati Misericordiae* hospitalitatis jus omnino traderetur, illudque ab Ecclesia praedicta ad expositorum hospitale, prope civitatis januam noviter constructum, revocaretur. Et revera illud Episcopus anno 1593 die 15 junii in locum, uti desiderabatur, constituit, adeoque univit, ut nulla (1) posthac molestia Virgilii successoribus a quopiam inferretur; dummodo ea in re quamdam pecuniae vim quotannis Priores impenderent. Hujus Xenodochii res, testimoniis undique conquisitis, erudito sermone contexuit, atque evulgavit Raphael Servantius Comes (2).

A. C. 1593

Paulus Crescentius, vir egregia virtute, et

(1) Ex tab. Episc.

(2) Memorie su lo Spedale della città di Sanseverino. Macerata 1836.

juris civilis scientia in primis clarus, mox Prior renunciatus fuit. Dein in Pauli locum Innocentius XI. substituit Alexandrum Crescentium Cardinalem. Non oblitus Alexander VIII. quantum in romanam rem beneficiorum contulisset Bandinus Panciaticus Cardinalis, mandavit, ut ipse ad Prioratus curam deinceps esset admotus. Anno 1704 Clemens XI. studium libentissime posuit, ut Nicolaus de Judicibus Cardinalis sacerdotium istud una cum illo eremi Suavicinae apud nos ageret. Huic a Benedicto XIV. successor fuit datus Carolus Leopoldus Calcagninus Cardinalis. Anno 1746 Prioratus administrationem suscepit Jacobus de Oddis Cardinalis, qui anno 1759 die 9 novembris Fratrum Minimorum s. Francisci de Paula familiae emphyteoseos nomine (1) cessit Ecclesiam s. Severini de Ponte. Ubi vero certior fuit factus, Fratriam Jesu, et Mariae vehementer cupere a se impetrare aedem s. Pauli eam ob causam, ut in eam societas transferretur; mandavit suis interpretibus, ut sine ulla mora illam traderent, quo sodales uterentur; diligentiamque adhiberent, ut vacuam, cum uti

A. C. 1704

A. C. 1759

(1) Ex Actis Ang. Salvatori die 9. Novembris.

vellent, haberent. Et id non solum ratum, sed plane etiam gratum mox habuit Marius Marefuscus Cardinalis, qui a Clemente XIV. eidem Jacobo successor fuit datus. Octavius Mancinfortis Sperellus sacerdotio isto fuit praepositus anno 1781. Mox Pio VI. perjucundum sane fuit, ut Philippus Campanellus Cardinalis in curam utrosque reciperet prioratus. Postquam Pontifex partes in ornando illo amantissime implevit, suum etiam fuit dare operam, ut Camillus Campanellus, Athenarum Archiepiscopus, et Perusiae Antistes, ultimus Prior inauguraretur.

A. C. 1781

Digitized by Google

IV.

De Dominicianorum gente.

A sancto Dominico ortum suum ii Fratres omnes duxere, qui, ineunte saeculo VIII., in unum congregati foedam Albigensium haeresim debellare coeperunt, ac deinceps miro sanctitatis et doctrinae odore Ecclesiam catholicam undique condecorare studuerunt, Praedicatores communiter vocitati. Ii non solum in claustris, sed etiam apud saeculares homines in privatis domibus disciplinam suam monasticam, per Italiam Galliasque praesertim, propagarunt. Dissipatis ubique haereticis, hic tertius Ordo, primitus *militia Christi* appellatus, in unam societatem coaluit *Fratrum et Sororum tertii Ordinis de Poenitentia*, ex qua innumerabiles Sorores magnae perfectionis et sanctitatis diversis temporibus prodierunt. Quare nulla satis mihi oratio esse potest laudandis iis, qui nostrorum civium partes amantissime implerunt in Dominicianis ornandis, de quibus sermo nunc est.

Nihil sane opportunius ad morum integritatem, et ad studia sacrarum rerum saeculo XIII. inter nos revocanda excogitari potuit, quam Dominicianam gentem in oppido constituere. Certum nam est, saeculo XII. dialecticam inter artes liberales praecipuum locum habuisse, et ex innumeris quaestionibus ope dialecticae excogitatis enatum fuisse novum genus philosophandi, quod philosophia scholastica vocabatur. Hinc accessit studium Librorum Aristotelis, qui in Arabicum versi pervenerant in Occidentem: hinc sacrarum rerum cathedram aetatum jactura extinctam (1) instauravit Honorius III., et primum huic facultati praefecerat Romae sanctum Dominicum, qui ad sapientiam scripturarum et theologiae continuo hauserat avide, quod postea in Italia effudit (2) abunde. Et sane *eodem tempore, quo Veronam Praedicatores petierant, missos ad oppidum nostrum socios a Dominico* fuisse ab Hieronymo Borsellio, et Ambrosio Taegio memoriae proditum est. *Mittendorum haec*

---

(1) Rem narrat Malvenda in Annalibus Ordinis Praedicatorum.

(2) S. Antonin. in hist. part. 3. tit. 22. cap. 2.

A. C. 1220 *fuit causa. Quum Dominicus Bononiae in foro concionem haberet, Bartholomaeus Smedutius Septempedanus civis, qui tum Bononiensium Praetor erat, situm ei promisit pro coenobio inter nostros constituendo.* Ultro darem Bursellio, Taegioque Smedutianam praefecturam, nisi ab anno 1104 ad annum 1414 nullum Bononiensium Praetorem civem nostrum fuisse, imo anno 1220 non Bartholomaeum Smedutium, sed Guilelmum *de Pusterla*, ex Muratorio (1) liqueret. Constans tamen est opinio, quae a majoribus ad nos traducta viget in Ecclesia Septempedana, Dominicum anno 1220 nonnullos ex sodalibus suis ad oppidum misisse, quibus obviam ab universo Senatu (2) fuit itum, quosque in muneribus obeundis cives omnes intellexere eos esse, quos ante praefecturam nostram (3) fore tam constanter

---

(1) Vide Bartholomaeum *della Pugliola* Minoritam *in chron. Bonon. tom. XVIII. Scrip. rer. Ital. edit. a Muratorio* — Bartholomaeus Smedutius de Sanctoseverino a Sozomeno Pistoriensi nominatur, sed is anno 1385. florebat. *In specim. histor. ad annum* 1385. *tom. XVI. rer. Ital.*

(2) Ex publicis monumentis.

(3) Turchius Cam. sac.

crediderunt. Ast minime verisimile est, missos a Dominico ad oppidum socios duodecim, quum in florentissimas Italiae civitates nonnisi paucos, interdum autem duos, tresve fuisse demissos, ex praedicatorum annalibus constet. Certum, opinionem, quam de illis oppidani nostri remotioribus saeculis ceperunt, Dominicianos non substinuisse solum, sed etiam auxisse, et temporis lapsu factos fuisse omnibus quidem chariores. Et haec eo spectabant, ut animo lubentiore cives operam darent, coenobii *s. Mariae de Mercato* dignitas retineretur.

Hinc studium suum rebus in omnibus Praedicatores ita exercuerunt, ut Ecclesiae forma satis antiqua instauraretur, iisque cives magis magisque deberent. Brevi tam propensos eorum animos ad religionis studia vehementer probarunt Cardinales Legati Marchiae Anconitanae, Episcopi Camerinenses, aliique. Et haec sane per se dicunt, coenobium istud in vetustissimis esse numerandum. Bernardus Guidonis Praesidem coenobii in comitiis provinciae *Lombardiae in sinistro cornu sexto loco considere consuevisse* scripsit. Anno 1249 die 26 junii Raynerius Cardinalis

A. C. 1249

cives (1) hortatus fuit, ut opem Praedicatoribus ad templum, aedesque construendas ferrent. Guido Episcopus Camerinensis (2) templum Dominicianorum Septempedae certis diebus adeuntibus indulgentias circa annum 1268 est largitus. Guidonis exemplum imitatus est anno 1276 die 3 aprilis Bernardus Genuensium (3) Episcopus designatus, et in Piceno *super spiritualibus Vicarius*.

A. C. 1268

A. C. 1276

Verum, quia non solum bonarum rerum fundamenta jacere, sed etiam eas altius construere, ac plane perficere oportet; nemo Dominicianis vel in benevolentia officiosior, vel in vicinitate utilior et fructuosior fuit Rambocto Episcopo Camerinensi. Ipse anno 1304 die 4 junii templum s. Mariae solemniter dedicavit, Episcopis quamplurimis (4) ab eo per literas rogatis, ut singuli quas possent ex more indulgentias concederent. Haud multo post

A. C. 1304

(1) Ex appen. monum. ad tom. 1. annal. Ordinis Praedic. num. 89.

(2) Ibi num. 89. — 1268. num. 100. Guido Episcopus hortatur fideles, ut accedant *congregationibus B. Mariae Virginis Septempedae apud Praedicatores*.

(3) Ibi num. 104.

(4) Rambocti literae referuntur a Catalanio in commen. ad Pontificale Romanum, et a Turchio in suo Cam. sac.

Jacobus Salamonius huic coenobio praefuit. Magni erectique animi vir, et summa prudentia, summaque integritate praeditus opus jam a Dominico praeclare inceptum (1) produxit ad summum. Hinc magnopere cupierunt Fratres ipsi sacras disciplinas restituere, et, quantum in eis positum erat, consulere bonis artibus. Quare diligentem susceperunt curam nonnullos ad se adducendi liberalis ingenii, bonaeque indolis pueros. Hinc scientiae verus germanusque usus, rectaque cognitio in oppido fuit comparata: hinc tanquam seminarium quoddam bonorum studiorum inter nos constitutum. Et haec ad tardiores nepotes scribenda esse duxi, non quidem quod ea ulla ex parte latere illos existimem, sed ut constans de Dominicianorum gente judicium meis apud omnes publicis scriptis declaratum relinquerem. Hoc modo Jacobus vir noster, divinarum rerum scientiis imbutus, civibus cumulate satisfecit, et Dominicianis valde charus sanctiora munera apud Ferrarienses (2) anno 1350 egit. Hoc modo Ægydius de Ægydiis, Do- A. C. 1350

(1) Ex *hist. Ms.* Hieronymi Talpae —

(2) Ibi.

minicianorum Prior, et civibus notus, et deditissimus optimarum artium studiis, ac egregie eruditus, in coenobio isto inolevit, et, Senatu nostro curante, in Galliam se (1) contulit, et Parisiis, celeberrimo doctrinarum omnium ludo, mire anno 1351 profecit. Quare ipse in Italiam regressus sempiternae laudis atque memoriae fructus in eodem Ferrariensi coenobio percepit (2).

A. C. 1351

Ast hic Dominicianae gentis splendor brevi coepit imminui. Nam bella, factionesque a Smedutiis inter nos excitatae, aliquantum civium animos nervosque eliserant. Et ea quidem semper fuit rerum humanarum natura, ut, cum ad extremum aliquid adductae sunt, aut paululum haereant, aut etiam concidant et sublabantur. Episcopi tamen Camerinenses exarserunt studio periculi a Fratribus nostris amovendi. Doctissimi Ordinis chronistae nonnulla ad hoc proferunt documenta. Et primo (3) Marci Episcopi dant diploma, ad annum 1360

A. C. 1360

(1) Ex lib. refor. ann. 1351. 30. Julii, et 4. Augusti.

(2) Ex Talpa loc. cit.

(3) Consule appen. monumen. ad tom. 1. annal. Ord. Praed.

cum Turchio scitissime rejiciendum, quo cives ipse hortabatur, ut in honestis sane rebus assequendis fratri Eustachio opem ferrent. Mox idem Eustachius rogavit Marcum, ut una cum fratre Jacobo Episcopo Botrotense (1), et Antonio Petro Episcopo Ame: (2) indulgentiarum penu oppidanos alliceret ad quoddam in Praedicatorum ecclesia opus conficiendum. Sed aliud quoque hujusmodi boni ab Episcopis Marco, et Jacobo cive nostro anno 1365 die 10 julii exoptavit Eustachius impetrare (3).

A. C. 1365

At jam B. Angela e Sanctoseverino adeo Dominicianis se praestiterat indole atque pietate, ut in tertium Ordinem fuerit adscripta. Purissimis fontibus detectis, unde sanctitatis gratia dimanaret, plurimas ex iis virtutes ipsa in se derivaverat. Postea ad hosce fontes continenter digitum intendere perrexerat, et viam caeteris, qua contenderent, demonstrare. Haud longe ipsa aberat ab iis Sororibus, quae

---

(1) Peninsula non longe a Corcyra.

(2) Suspicandus est cum Turchio: vel Episcopus Amathensis, vel Ambianensis, vel Ampuriensis, — *Cam. sac.*

(3) *Datum in s. Sev. in palatio s. Laurentii anno Domini* 1365. *die* 10. *mensis julii.* — Ex Turchio loc. cit.

Digitized by Google

praeclare a natura factae (1) ad sanctitatem eadem in via tum versabantur cum laude. Quae res civibus in causa fuit, cur Angelam anno 1367 e vivis excessam de Ecclesia nostra optime meritam appellaverint. Eam sanctitatis, et miraculorum gloria celebrem commemorant Joannes Michael Pius, Valerius Cancellottus eques, Vincentius Divinus, Joannes Baptista Cancellottus, Hieronymus Panicarius, et frater Benedictus Landius (2). Jacet corpus in sacra Dominicianorum aede, loculo haud satis cognito.

A. C. 1367

Haec inter s. Margarita vidua (3) Septempedana, ex Cesulo villula orta, (4) tempus an-

---

(1) Ex tertio Ordine s. Dominici prodierunt *B. Catharina de Senis*, *B. Angela de Sanctoseverino*, *B. Anna de Camerino*, *B. Daniela de Benevento*, *B. Margarita de Civitate Castelli*, *aliaeque innumerabiles Sorores magnae perfectionis*, *et sanctitatis*. Ita ex constit. Ordinis.

(2) De mulier. illustr. Ord. Praed. — *Ist. Settemp. Ms.* — *Vite dei SS. Settemp. Ms.* apud Ranaldium. — *Vita di s. Severino.* — *Poesie Ms. apud Ranaldium.* — *Vita della Serva di Dio Felice Acciaccaferri Ms.* apud Ranaldium.

(3) Ex legenda Pompilii Viculi Caccialupii incip. — *Margarita Septempedae.* —

(4) Ex alia legenda Ms. apud Ranaldium.

nectebat ad penitiorem sanctitatis indolem pernoscendam, et germana ejus praecepta, quotquot erant, habebat inviolata. Nihil ei ad conjugium cum cive (1) nostro coactae non consideratum vel excidebat ab oculis; vel effluebat ex ore. Acerrima, ac plane singularis erat ejus religio in paupertate colenda. Lubenti haec animo scribo: sunt enim rebus nostris adhuc perhonorifica. Morbus sensim ingravescens ejus fregit nondum initam senectutem. Jacens in lectulo, et forti animo ad extremam paupertatem redacta, pedum calceamenta filiae aliquid amoris expostulanti reliquit. Quare, ubi ipsa Septempedae anno 1395 pie, sancteque diem obiit supremum, coepit filia nescio quos calceos (2) in tenues membranas deductos e pedibus educere, distincte apparente in eis digitorum omnium cum suis unguibus imagine. Ii postea ad Ecclesiam delati, et in urna argentea inclusi, videntur adhuc una cum corpore in sacra Dominicianorum aede. Multis fuit il-

A. C. 1395

(1) Ex eodem loco.

(2) Severanus — *Pretiosae mortes Sanctorum* — Ex Ms. bibl. Vall., et ex actis apud Septempedanos.

lustrata miraculis. Ejus memoriam celebrat (1) statutum Septempedanum. Certe, quae a Ferrario et Severano (2) narrantur, satis certis monumentis nituntur. De ea martyrologium romanum ad diem XXVII. Augusti. Scipio Nigrellius Episcopus, (3) innovata urna atque altare, corpus solemniter (4) transtulit; et concessum fuit (5) Septempedanis, ut Margaritam colerent cum Officio et Missa *de communi*.

A. C. 1414 Anno 1414 die 13 januarii cives ad Carolum Malatestam Ariminensem (6) internuncium suum miserunt fratrem Jacobum, quem alio diximus Constantiam fuisse profectum. Sed brevi teterrima factiosorum consilia patefacta sunt, facinorosorum multitudo mercede conducta, oppidum quoque nostrum semel et iterum circumventum, ac in discrimen potissimum Dominiciani adducti. Quare anno 1416 eorum fortunae direptae, Fratres e sedibus (7) ejecti, tem-

A. C. 1416

(1) 1427. — lib. 2. rub. 7. — *De Feriis.* —
(2) *Catalogo dei Santi* — loc. cit.
(3) Talpa loc. cit. — Synodus Pierag. in appen.
(4) Ex publ. monum.
(5) Synodus Pierag.
(6) Ex lib. introit. Com. nostrae.
(7) Consule partem primam.

plum spoliatum, dirutae arae, aliaeque sacrorum violationes quamplures, quae denuo recenseri sine horrore non possunt.

Haec inter frater Augustinus Dominicianorum legatus, quem *Nicolai Ser. Jacobi de Venetiis Prioris Provincialis* denunciatione inter nos legimus substitisse, Episcopum Auximanum aequiorem nactus, facta sibi potestate Antistitem ipsum adeundi, legationis munus feliciter peregit, illumque adeo impulit ad Dominicianis tradendam, Martino V. jubente (1), Ecclesiam *hospitalis pauperum* ss. Marci, et Hieronymi pro coenobio Auximi primitus constituendo. Sciant cives, rem Damianum Ser. Antonii Dominicutii scribam fuse (2) tradidisse anno 1428. die 6. Julii, et Augustinum ex illustri Lutiorum gente ortum duxisse. Vir ingenio praeditus, et morum haud insuavium et literatus, in Dominicianorum Ordine ita vixit, ut ab omnibus summopere commendaretur. Dum haec Auximi agebantur, armatorum hominum manus Praedicatorum coenobium rursus inter nos aggressa ignem in illud misere inje-

A. C. 1428

(1) Ex Bulla apud ss. Apostolos XIII. kal. junii 1428.
(2) Ex tabul. Auximano.

A. C. cit. Tum pro fessis patriae, ac Dominiciano-
1431 rum rebus sublevandis anno 1431 fratris Juliani legatio (1) ad Eugenium IV. innovatur, sane celebris futura, si per Smedutiorum perfidiam licuisset. Ipsi enim sub pacis atque amicitiae tegmine acerbius quam hostes, crudelius, quam si aperto egissent bello, debacchabantur. Haec exactius nosse si quis cuperet, temporum historiam consulat. Ubi tamen Marchiae Anconitanae res miserandum in modum
A. C. collabentes tantisper restitutae sunt, Eugenius
1439 anno 1439 ad Episcopatum Cyteriensem (2) Jacobum assumpsit.

Anno insequenti ad fratrem Martinum, coenobii, curatorem Moderator totius Dominicianorum Ordinis literas dedit, quibus eum fuit cohortatus, ut in jura monialium s. Joan-
A. C. nis Baptistae *in campo Donico* (3) se anno
1444 1444 immitteret. Et id sane, post diuturnas contentiones in chronotaxi Laurentiana relatas, accidit omnibus plane gratissimum. Sed perquam moleste tulit Eugenius IV., Dominicia-

(1) Ex Talpa loc. cit.
(2) Ibi.
(3) Ex actis Christophori Jacobi Nicolai Amatutii.

Digitized by Google

nos de Ecclesiis *in solo Lateranensi* positis ea statuisse, quae maximam Canonicis jacturam afferrent. Nam a Cardinale Dominico Firmano, Marchiae Anconitanae Legato, fratres postulaverant anno 1444., ut vellet afflictis eorum rebus non deesse, dum animo ipsi movebant meliorem in formam redigere coenobium, et vetustissimum templum s. Mariae. Is igitur in scriptis, audito Philippo Brunio Abbate s. Laurentii, facultatem Dominicianis facile tribuit aequandi solo Ecclesiam s. Joannis, quae arcis formam praeseferebat, quae juncta coenobio hostium impressiones satis tulerat, quaeque erat in jus Capituli Lateranensis una cum aede s. Joannis Baptistae *in campo Donico*. Id cum a Pontificis voluntate valde abhorreret, voluit ipse anno 1447., Canonicis reponi ablata omnia, ne antiqua litium semina rursus subnascerentur. Et sane Capituli integritati, pro sui muneris officio, Gaspar e Bononia, Canonicus, et Quaestor Lateranensis Ecclesiae, consuluit anno 1448. Nam, pactis quibusdam (1) initis firmatisque, ad concordiam Gaspar ita omnia reduxit, ut praestarent singuli eam fi-

A. C. 1447

A. C. 1448

(1) Ex actis Caroli Joannis.

Digitized by Google

dem, quam pepigerant. Quoad vero eversionem templi s. Joannis, pro ornando coenobio faciendam, Gaspar dedit operam, ut Dominiciani intelligerent, se eorum commendationes ratas habiturum fuisse, donec sacellum sub eodem titulo una cum vasculo baptismali inibi exstrueretur, stipulationibus innovatis pro Ecclesia s. Joannis Baptistae in *Campo Donico* (1).

Rebus ita compositis, Dominiciani, quibus cum nova jurium accessione nihil erat prope antiquius, quam ut templum s. Mariae aeque ac coenobium quam celerrime repararentur, hujus muneris curam ita suscepere, ut in eo exercendo cum nominis, tum pietatis rationem (2) habuisse viderentur. Ea anno 1467. Dominicianam gentem cogitatio tenuit, quemnam dignum haberet, quem societas de more

A. C. 1467

(1) Silentio minime praetereundum, cives anno 1437. legem — *Ex lib. Decr. comm. nostrae* — tulisse, qua edixerant, ut ad vulgarem per oppidum luem propulsandam quotannis supplicatio haberetur in honorem s. Sebastiani M., cui deinceps Fraternitas Misericordiae in antiqua area *campi Donici* Oratorium erexit, quod circa annum 1600. suum vidit occasum.

(2) Ex Talpa loc. cit.

legere, et creare Priorem in provincia rite posset. Et amor quidem Ordinis atque benevolentia, qua semper oppidum nostrum ipse coluerat, Fratres facile movit, ut ad ea ferenda suffragia in Septempedanum coenobium (1) convenirent. Qua in re ad fratrem Auribellium Magistrum Generalem Ordinis amantissime sane cives scripserunt, fratre Antonio de Comitibus cive nostro exorante.

Haud multo post B. Camilla Gentilia-Rovellona de Ecclesia nostra fuit optime merita. Parentes ipsa habuerat Lucam Gentilium, et Bernardinam Grassiam, genere ac pietate conspicuos. Pietas in Deum, et Deiparam Virginem ex oculis, ex ore, e motu, e statu corporis emicabat. Erat testimonio satis luculento charitatis praestantissimae, qua Reparatorem suum amplectebatur, studium exquisitum et vigilans, ne latum unguem discederet a regulis Christianae institutionis. Quae contentio neque intermissa fuit, neque remissa usque ad mortem: qua de morte cum narravero, finem scribendi hac de re faciam. Baptistae Santuccio

---

(1) Ex lib. intr., et exit. Com. nostrae ab anno 1459. ad annum 1468.

nuptui a parentibus tradita, virtutibus omnibus excolendis ipsa operam dabat. At vir ferus eam miserrime anno 1486 circiter jugulavit (1). Brevi sacrilegum facinus haud longe ab oppido clam patratum, et mulieris integritatem prodigia divinitus patefecerunt. Corpus ex arena elatum cives in sacram Dominicianorum aedem intulere. Et cum in dies Camillae memoria miraculis, et maxima tam civium, quam exterorum veneratione crebresceret; in juridica corporis recognitione illud post annos plures repertum honorifice positum fuit super altare ejus nomini sacrum, donec translatum legimus ad aram principem. Dionysius Pieragostinus Episcopus deinceps promulgavit, ut ei immemorabilis cultus (2) adhiberetur. Plura de Camilla scripserunt Joannes Michael Pius, Valerius Cancellottus eques, Petrus Simon Caccialupus, Joannes Baptista Cancellottus, Joseph Coluccius, aliique (3).

A. C. 1486

Concitatos in mutuum exitium Principes, et Respublicas Leo X. jam studebat ad pacem

(1) Turchius Cam. sac.

(2) Anno 1736. die 5. novembris.

(3) De mulier. illustr. Ord. Praed. — *Ist. Sett. Ms.* — In vita B. Camillae — *Vita di s. Sev.* — Antic. pic. tom. XIII.

revocare, Concilio Lateranensi cum Ludovici regis submissione absoluto. Sed brevi tantum haeresis Lutheranae nequitia praevaluit, ut indictum adversus Turcas bellum in mutua inter christianos Principes bella Martinus ipse deflexerit. Hinc innumerae Turcarum biremes, inter Italiae litora visae, mare illud omne, insulasque ipsas metu atque formidine impleruntt. Dum igitur a Francisco Gallorum rege etiam atque etiam petebat Leo, ut quidquid Genuae atque Massiliae longarum navium habebat, eas imperaret sibi praesto esse; caelum ipsum Italos passim excitabat ad hostes propulsandos. Nostris tum gentibus Maria Virgo indiciis pientissimis ostendit, ut suam admirarentur tristitiam. Quare anno 1519 in *feria sexta majoris hebdomadae* Deiparae simulacrum, quod extra muros oppidi nostri in oratorio *Grillusiano* (1) recolebatur, visum est genas rigare fletibus. Brevi cives sese excitarunt ad ea et cogitanda, et procuranda, quae Deiparae voluntati consentanea esse scirent.

A. C. 1517

A. C. 1519

(1) *S. Maria del Glorioso.* Memoria s. Mariae de Grilluso nobis occurrit anno 1421. quibusdam in tabulis Antonii Petri Marinutii.

Quare eodem anno Thomae Talpae, Simoni Jacobellio, et Aloysio de Aloysiis curatoribus suis ipsi mandarunt, ut, nummis undique collatis, cogitarent de templo augustiori extollendo, uti publica monumenta testantur (1).

Res ita jucunda Leoni X. accidit, ut suis cum literis (2) datis anno 1519 duxerit omnia auctoritate sua confovere. Hinc apud universum civium ordinem Petrus Simon Vicolus, prudens homo et gravis ac eloquens vir, contendit anno 1520, ut sacra Virginis aedes, quae magnis jam sumptibus construebatur, ejusque omnia ad cultum, locique religionem pertinentia recte conficerentur. Et pro sua in Divam pietate intellexit quisque, Capitulum nostrum quotannis die Ascensioni sacro cum rogationibus ad eam iturum, ut, quemadmo-

A. C. 1520

(1) De Virginis lacrymatione ejusque cultu scripserunt inter alios Valerius Cancellottus eques, Horatius Civallus, V. Juvenalis Ancina, Joannes Baptista Cancellottus, Hieronymus Panicarius, Julius Scampolus, Hieronymus Talpa, Bernardus Gentilius, Benedictus Landius, Octavianus Gentilius, Dionysius Pieragostinus Episcopus, aliique. Consule etiam lib. refor. Com. nostrae.

(2) *Ad Episcopos Camerini, et Auximi, ac ad Plebanum Plebis s. Benedicti.*

Digitized by Google

dum erat antiquitus, inibi sacra (1) perageret. Pompilius Viculus Caccialupus, comes palatinus, anno 1521 agros nonnullos Virgini dono dedit, eosque Ecclesiae ita esse voluit, ut rectores perpetuo sequerentur. Sed id mihi gratius accidit, civium incepta, Deo favente, quos optaverant exitus habuisse circiter (2) annum 1522. Nam totius templi aedificatione confecta, et feria sexta *Passionis Domini ab omnibus civibus et incolis custodita* (3), majores nostri statim noverunt Clementis VII. sensum ad omnem gloriae cumulum undique colligendum. Ipse anno 1524 jussit, ne ea civibus obessent, uti alio innuimus, quae nummariis in edictis continebantur; et cavit, ut pauperes, qui in s. *Mariae Gloriosi ... aedibus* sustentabantur, ab omnibus haberentur etiam suo nomine (4) chariores. Brevi etiam cives intellexerunt, Petrum Antonium Talpam, Joannem Baptistam Ægydium, et Diamantem de Aloysiis ad Dominicianae gentis conventum Fabriani coeuntem anno 1544 accessisse, ut ipsi

A. C. 1521

A. C. 1522

A. C. 1524

A. C. 1544

(1) Ex lib. refor.

(2) Ibi.

(3) Ibi.

(4) Ex literis datis Romae apud s. Petrum die 3. martii.

de Ecclesiae procuratione Dominicianis tradenda eos possent alloqui, cumque eis, quae ex usu utriusque partium essent, commode constituerent. Et haec civibus jucunda fuere: nam propter plurima Dominicianorum officia in Divae Mariae *de Mercato* summopere oppidani cupiebant, ut ea per internuncios statuerentur, quibus germanus inter bina coenobia amor, perpetuaque conjunctio esset futura. Quare ut fieret, quod ad oppidum attinebat, Paulum III. majores nostri sunt precati. Ipse vero anno 1545 precibus annuit, et Prior provincialis utriusque Lombardiae anno 1546 in dominationem recepit Ecclesiam, et Vicariatum Grillusianum (1).

A. C. 1545 1546

Utriusque familiae rebus ita firmatis, cives ad eas ardentius confluxere, ut disciplinas addiscerent, a Patribus innocenter tranquilleque advectas. Et horum quidem disciplini fuerunt permulti, inter quos recensendus Gregorius Servantius. Is, adolescentulus acris et vehementis ingenii, Dominicianae genti nomen dederat, et, cum sacris in rebus, ac praesertim in concionibus excelleret, Romam profe-

(1) Ex actis Chrispoldi Jacobutii.

ctus theologi munere apud Petrum Aldovrandinum Cardinalem functus est. Mox ad graviora Ecclesiae negotia accersitus est: nam a Clemente VIII. electus fuit Episcopus Trevicanus. Inter Paulum V., et Rempublicam Venetam controversia exorta, scripsit in Decemviros, et in duo notissima Senatus consulta. Antequam vero res eo esset devoluta, ut in imperium omne Venetum interdictum ecclesiasticum indiceretur, obiit Gregorius (1) quinque annis major quadragenario. Ejus extant elucubrationes (2) quamplures pietate, disci-

A. C. 1606

(1) D. O. M.
nomini et famae
Gregorii Servantii Septempedani
sodalis Dominiciani
Trevicensium Antistitis
omnigena virtute praediti
scientia exculti
pietate insignis
Raphael Comes Servantius
Aloysii F.
aere Xtianae A. MCCMXXVIII.
mon. perennitatis pos.
vix. ann. XLV. ob. III. Eidus Octobres
MDCVIII.

— *Prostat in sacra Dominicianorum aede* —

(2) In bibliotheca Gentilia Rovellona.

Digitized by Google

plinae optimae studio, eruditione conspicuae. Laudatur ab Ughellio, Pio, Cavallerio, Que-
A. C. tif, et Echard, aliisque (1).

1621 Anno 1621 ad Grillusiani templi venerationem augendam *Paulus V. mandavit*, *ut* Deiparae festum quotannis in Dominica III.
A. C. aprilis recoleretur (2). Sed brevi Magister Ge-
1645 neralis Ordinis anno 1645 dedit in mandatis Joanni Vincentio Morenio Priori in provincia, ut fratres in Grillusiano vicariatu commorantes *unirentur coenobio s. Dominici, et Fratres ac Vicarius eidem subderentur* (3). Ubi Morenius die 24. julii anni mox relati jussa implevit,
A. C. cives ad Innocentium X. provocarunt, qui an-
1646 no 1646 die 21 septembris Cardinali Ginettio praecepit, ut eo in negotio perquam diligenter (4) immoraretur. Si quis illud refricare so-

(1) Ital. sac. — De vir. illustr. part. 2. — Monum. Dominici. — *Gall. Dominic. tom.* 1. — Tom. 2. — Majorum suorum res conscripsit Raphael Servantius Comes. Erit illi sane perhonorificus is labor, et patriae gratus. Multa in eo digessit verborum sententiarumque floribus conspersa.

(2) Ex lib. Cons.

(3) Ibi ab anno 1629. ad annum 1675. — Ex tab. capit.

(4) Ibi pag. 101., et 102.

lertius vellet, facile quidem recrudesceret. Ideoque satis sit dicere, inter cives ad diuturnum certamen vocatos excelluisse Eustachium Divinum, celeberrimi nominis opticum (1).

---

(1) Eustachins Divinus natus anno 1610. parentes habuit Tardotium, et Virginiam patricia nobilitate ordinis primi. Romam profectus mathematicas disciplinas, et astronomiam, scientiarum omnium antiquissimam et praeclarissimam, diu quidem coluit. Theloscopia ad caelestium corporum observationes sufficientia construxit: Planetarum motus direxit, et novas subinde tabulas confecit. Singularis fuit ejus cura in Microscopio perficiendo. Ob haec optimatum, et Principum virorum gloria floruit, et Ferdinandus II. M. E. Dux eum aurea torque donavit. Diuturnis summisque laboribus consumptus anno 1685. die 22. februarii obiit, in sacra Dominicianorum aede inter avorum cineres sepultus. A Carolo Antonio Manzinio comite *in diopt. prat. cap.* 17. laudatur. Honoratus Fabrius *in synops. optic. prop.* 46., Arrigus Odemburgius *in actis philosophicis regalis societatis Londinensis anni* 1668., et Hyacinthus Gimma *in hist. liter. ital.* Divinum commendarunt ex animo. Beughemius *in bibliogr. mathem.*, Tiraboschius *in lit. ital. tom. VIII.* se maximi Eustachium ducere significarunt. Scripsit — *Brevis adnotatio in Systema Saturnium Christiani Hugenii. Age Comitum* 1660 — *Lettera al Conte Carlantonio Manzini .. sopra un lavoro, e compimento di Lenti, che servono a Occhialoni o semplici, o composti. Roma* 1663. — *Lettera intorno alle macchie scoperte nel luglio* 1665. *co' suoi Cannocchiali nel Pianeta di Giove. Roma* 1665.

Digitized by Google

Haec inter excessit Frater Amicus, cui, ut egregia aliqua significatione praesentibus ac posteris eximiam in eum voluntatem testa- tam relinquerent cives, praecipui honores (1) fuerunt decreti. Ipse enim vivens in Vicariatu Grillusiano praeclara morte vitae laudem cumulaverat. Maria Dulcettus vir noster, postquam in patrio coenobio addiscendae theologiae dederat operam, Bononiam profectus Magistri gradum inter Dominicianos obtinuerat. Ubi vero claris in urbibus Inquisitoris munere functus est, domum reversus sacram Praedicatorum aedem novis substructionibus exornavit (2).

A. C. 1651

Vicariatum Grillusianum legimus anno 1671 die 3 decembris fuisse ad Dominicianorum voluntatem (3) integratum, et cives anno 1676 die 11 octobris expostulasse, ut perpetuas vices inibi gereret (4) Michael Fontana-Rosa, vir undequaque doctus, et in magna apud eruditos existimatione. Mox apud Dominicianos et cives Cardinalis Crescentius bene-

A. C. 1671

A. C. 1676

(1) Ex eisdem lib. cons.

(2) Ex publ. monum.

(3) Ex decret. sacr. Congr. EE. et RR.

(4) Ex lib. cons.

Digitized by Google

ficus exstitit, uti patriae monumenta per se satis loquuntur. Nec silentio praetereundum, anno 1731 die 16 septembris Capitulum templi Principis Apostolorum corona donasse Simulacrum Grillusianum (1) miraculis coruscans. De tanta hilaritate nonnulla a praestantibus viris cum christiana gravitate scripta fuerunt. Dionysius Pieragostinus Episcopus anno 1732 die 21 septembris solemni pompa sacram Virginis aedem consecravit, anniversario die ad Dominicam III. Septembris firmato (2).

A. C. 1731

A. C. 1732

Interea Dominicianorum Ordini nomen dederunt mulieres nonnullae, quae tribus in domibus collegialiter vivunt. Puellas ipsae rudimenta fidei, et muliebres edocent artes. Fuit inter eas sanctioris vitae fama (3) commendata Maria Francisca Jesu. Anno 1775 die 16 Januarii ipsa obiit (4) in collegio S. Annae, et corpus

A. C. 1775

(1) Ex pub. monum.

(2) Ex actis Xaverii Acciaccaferrei.

(3) Ex vita edita Auximi.

(4) Felix de Acciaccaferreis, saeculo XVII. ineunte, se a civibus prohibuit, et Laurum in Dioecesi Firmana profecta, ac in Dominicianorum tyrocinio versata Mariae Jesuardae a SS. Trinitate nomen sumpsit. Ut pateat, quam ipsa orandi rationem adhibuerit, sub oculos est revocandus praecipuus

A. C. 1817 sepulturae fuit amandatum in Divi Dominici (1). Datum fuit anno 1817 universo Clero Dioecesis nostrae Dominica II. octobris, cum of-

---

ejus in Deiparam Grillusianam amor, quo illius vita semper involuta fuit. Ad Dei passionem mire confugerat, ex qua expresserat suavissima et pura. Diuturnis laboribus consumpta sancte obiit Lauri in monasterio Corporis Domini anno 1715. die 4. martii. De ea fuse egerunt Benedictus Landius, et Joseph Gentilius e Rovellono.

(1) Anno 1812. V. idus martii Joseph Maria Marinellius comes, Deo dilectus et hominibus, mortem vitae pientissimae consentaneam Septempedae obivit. Natus anno 1731. III. nonas octobris in oppido s. Victoriae patrem habuit Nicolaum, matrem vero Hieronymam ex Nobilibus arcium Tophinarum. Firmi scholas Patrum societatis Jesu frequentavit, et ad omnem pietatem, atque ad optima studia mirifice fuit institutus. Domum reversus, et Canonicatu auctus adstitit a vice sacra Paracciano, Minuccio, et Brancadoro Firmanam Ecclesiam procurantibus. Res sacras ipse juvit studio religionis, suavitate morum, et laude prudentiae. Perfectum dicendi genus tum in oratoria, tum in poetica facultate persecutus est. Dici vix potest, quot curas, quot labores susciperet, ut absolutus evaderet orator, ad illustriores Piceni urbes designatus. Varia scripsit et edidit lucide, ac molliter expressa. Fuit erga omnes officiosus. Puri atque integerrimi erant mores: ejus modestia, continentiaque singularis celebrabatur. Pietas in Deum omnibus undecumque emicabat, vel sacra faceret, vel religiosis quibuslibet caeremoniis precibusque operam daret. Pollebat voce haud plena: erat statura mediocri, habitu corporis potius exili, colore pallidulo. Corpus

ficio et missa, peculiare Deiparae festum (1) instituere. Sed facile erat cognoscere, Dominica III. aprilis majorem esse ad enunciatam Grillusianam aedem civium et exterorum frequentiam, ac sodalitates ex finitimis etiam regionibus ad eam per saecula convenire. Quare anno 1836 die 27 augusti Virginis festum (2) amandatum fuit ad Dominicam III. aprilis, Jacobo Ranghiascio Episcopo, Capitulo, Dominicianis, ac Magistratu exorantibus. Eadem atque alia luculenter pertractavit Joseph Ranaldius in opere hac de re nuper evulgato (3).

A. C. 1836

---

in sacra Dominicianorum aede conquievit non sine lacrymis. Ortum ipse duxerat ab ea gente, cujus auctor saeculo Christi IX. fuit Forolivii Severus eques. Ab eo altera Marinellia gens in oppido s. Victoriae derivavit, quae a Bonifacio IX. Rotellae dominatu fuit honestata, Liviadensi nobilitate adaucta, et Septempedae inter Decuriones censita in Nutiorum gloria. De ea Bonolius, Marchesius, Menzocchius, Padovanius, Blavettus, Adamius, et Borgia scripserunt: nam viri, domi forisque clarissimi armis et literis, cunctis fere temporibus ex ea prodiere.

(1) Ex decreto S. R. C. die 9. Decembris.

(2) Ex decreto S. R. C.

(3) *Memorie storiche di S. Maria del Glorioso presso la Città di Sanseverino nel Piceno. Macerata* 1837.

V.

De Franciscalium familiis.

Quod unum ad Franciscalium gloriam inter nos augendam pertinere videbatur, id maxime, si non ex toto et pro rei dignitate, pro viribus saltem praestabo. Itaque nec inutile, nec vacuum erit, originem, incrementum, omnemque eorum fortunam apud nostros ad haec usque tempora prosequi. Placet tamen plurima paucis complecti: nam plurium nomina ita sunt nota, ut satis fuerit ea indicasse: aliorum vero laudes libris pluribus continentur. Nonnullos fortasse jejune nominabo, vel eos silentio praetermittam. Id praeter animi mei sententiam factum assero, quod illorum res mihi haud fuerint satis exploratae, non quod illorum gloriae aliquid voluerim deperire.

S. Franciscus Assisiensis tres distinctos Ordines instituerat: primus erat Fratrum Minorum, secundus Sororum pauperum, tertius complectebatur omnes pios homines utriusque sexus sub uno pietatis sodalitio congregatos.

Ii arctam religiosorum disciplinam in monasteriis observatam subire non obligabantur, nec foeminae infra claustra sacrarum virginum recludi debebant; adeoque, respectu primorum duorum Ordinum, tertii hujus alumni *Tertiarii*, vel potius *Fratres*, *et Sorores de Poenitentia* recte poterant nominari. Sed arctissimae disciplinae praecepta *Pauperibus inclusis* Divae Clarae, pium vivendi modum post annum 1212 sequentibus, sanctissimus mendicantium monachorum Patriarcha praescripserat. Hoc erant conspicatae eae Virgines ingenuae, quae in aedem *s. Salvatoris de Colpersito* extra moenia oppidi nostri (1) sub *pauperum inclusarum* nomine, confugerant. Quare fuit optimum, et tum civibus salutare, tum oppido ad laudem amplissimam, ut, qui vivebant inter nos ad rempublicam capessendam, curassent, Franciscus fines nostros ingrederetur. Exceptus ipse fuit, omnium civium ordinibus obviam effusis, universo sacerdotum coetu prae foribus oppidi praestolante. Convenerant finitimi complures atque longinqui sanctiorem vitam auspicaturi.

A. C. 1212

(1) Turchius Cam. sacr.

Inter hos (1) *cum sodalibus multis* studio *consanguineam* visendi vir poeticae facultatis pro temporum conditione satis gnarus, imo inventor *saecularium cantionum*, et rex rithmicae poeseos conclamatus. Primo ab accessu die in *Inclusarum* templo sedit Franciscus, et eloquentiam graviorem secutus gravissimis de rebus christiano more disseruit. Quare *gladium verbi Dei* ipse *transvertit* in Vatem, *eum altera die induit et ad Dei pacem reductum Fratrem Pacificum nominavit.* Ubi vero tempus venisse est arbitratus, quo sibi a nostris esset discedendum; suae gentis coetum (2) in oppido instituit, et in Umbriam Tusciamque contendit, Pacifico in socium adscito. Brevi hic Italiae, Galliaeque regiones peragravit, et ad Sicambros profectus verbum Dei propagare sedulo nisus est, donec, primus in Flandria Ordinis minister dictus, immortalitate in ea

---

(1) B. Thomas de Celano in vita s. Francisci scripta anno 1244. *Romae* 1806. — Divus Bonaventura in vita s. Francisci. — Turchius loc. cit. — Marangonius delle cose gentilesche — Gentilius *dissert. Settemp.* — Benofius in compendio hist. minor. *Pisauri* 1829.

(2) Turchius loc. cit.

sede donatus fuit, in qua Beati aevo sempiterno fruuntur. Hic ego non quaeram, qua in urbe, quove in templo sacra ejus lipsana colantur: nam qui Beatorum nomina singillatim recensent; et Fratrum minorum annales perlustrant, nequaquam (1) Pacifici loculum ignorant. Non vacat, etiam monumentis, expendere, an, quae de Pacifici patria circumferuntur, genuina sint necne: quum quisque acquiescendum sibi esse existimaturus sit judicio Melchioris Delphico, qui in epistola ad Hyacinthum Cantalamessa-Carboni virum doctissimum pronuntiavit, vel apud Asculanos, vel apud Septempedanos Pacificum ortum duxisse parum referre, cum Marchiae Anconitanae laus praecipua sit, eum Picentem (2) fuisse. Et re-

---

(1) Wadingus ann. min. tom. I. — Saussay martyr. ad diem 10. julii — Tossignanus, Arturus in martyr. Francis. sub eodem die — Cancellottus in vita s. Severini — Da Mandrisio in vita B. Pacifici Divini e Sanctosev. — Benofius loc. cit. — Sbaralea in supplemento et castigatione ad Scriptores trium Ordinum s. Francisci a Wadingo, aliisque descriptos. *Romae* 1806.

(2) Confer opus, cui titulus — *Memorie intorno i letterati, e gli artisti della città di Ascoli nel Piceno scritte da Giacinto Cantalamessa-Carboni. Ascoli* 1830.

vera, si omnium eruditorum calculo jam firmatum (1) est, primos in Italia Siculos vulgarem linguam, Italicam nimirum, usurpasse ad condendos versus; nescio, quibus encomiis Pacificum efferam, qui ob excellentiam in arte, uti notat Irenaeus Affò, veterum codicum auctoritate (2) fultus, *in saeculo vocabatur rex versuum, et fuit valde curialis doctor cantor*, antequam politiores literae opera Dantis Ali-

---

(1) Muratorius antiq. med. aevi dissert. 40.

(2) Affò — *De' cantici volgari di s. Francesco d' Assisi dissert. Guastalla* 1777. — In animadversionibus ita: *Subdit* (Wadingus) *ipsum* (Franciscum) *post haec paulisper meditatum in praedictum Canticum prorupisse, monito Socio, ut verba calamo exciperet, ac desiderasse, ut ab omnibus mandaretur memoriae, a Fratribus suis recitaretur quotidie, et meliori metro donaretur a Fratre Pacifico docto istius saeculi Poeta — Svysken n.* 38. — *Et fecit tonum super hac* (laude), *et docuit Socios suos, ut dicerent, et cantarent eam; nam spiritus ejus erat tunc in tanta consolatione et dulcedine, quod volebat mictere pro Fratre Pacifico, qui in saeculo dicebatur rex versuum, et fuit valde curialis doctor cantor — Spec. perfect. Ms. — Quodam tempore ivit Beatus F. ad Ecclesiam B. Petri de Bevanio prope castrum Trevii vallis Spoletanae. Et cum eo ivit Frater Pacificus, qui in saeculo vocabatur rex versuum, et curialis doctor cantor — Spec. perfect. Ms. cap. I.* —

gherii, et Francisci Petrarchae reviviscerent. Hinc meum non est statuere, utrum probabilis eorum (1) sententia censeri possit, qui hominum memoriae tradidere, Fridericum II. imperatorem Pacifico coronam *pomposissime* imposuisse. Nemo est qui nesciat, Tiraboschium hac de re ante omnes dubitasse (2). Caeterum quisque sentiat, has difficultates a me praeoccupatas fuisse, ut nihil jam sit, quod a me dicendum superesse videatur. Est tamen aliquid; nempe, nihil per me de summorum hominum existimatione hac in re tam salebrosa imminutum.

Haec inter Franciscalium fortunam mirifice augebat in oppido Frater Paulus (3) a Spole-

---

(1) Bettinellius *risorgimento d' Italia negli studi, nelle arti, e nei costumi dopo il Mille* — Quadrius *della storia e della ragione d' ogni Poesia* — Ginguenè *storia della letteratura italiana* — Perticarius *apologia dell' amor patrio di Dante* — Cardella *storia della bella letteratura Greca, Latina, ed Italiana*, aliique.

(2) *A dir vero*, ait in hist. lit. Ital. tom. 3., *la solenne coronazione di un Poeta, parmi, che avrebbe di questi tempi risvegliata sì gran meraviglia, che gli Scrittori ce ne avrebbon servata memoria.*

(3) Leonardus Francus in actis s. Bentivolii scribit, Fratrem Paulum fuisse B. Paulum a Spoleto — Turchius —

to, qui sacris in rebus eloquentissimi viri elogium tulerat. Integerrimis etiam moribus coenobium tunc exornabant Fratres, Angelus e Camerino, Albertus e Corignano, Leonardus e Civitatenova, et Grimaldus e Montesancto. Dum igitur ii civibus labores suos devovebant, et eorum aedes S. Catharinae (1) sacra, parva licet et humilis, celebrabatur ab omnibus, uti virtutum omnium asylum; factum fuit, ut Paulus, qua legendo, qua consulendo, suam impensius Bentivolio civi nostro claris orto natalibus operam navaret. Is ex patre Gerardo (2) de Bonis, et matre Albasia natus, eximiis animi dotibus insignitus, et humanioribus ab ineunte aetate literis consecratus, in Minorum ordine tyrocinium posuerat, auctore Francisco. Progressus ad graviora brevi iis honoribus fuit decoratus, qui strenuis rei christianae viris deferri solent. Communis omnium opinio fuit, eum palam generosa evangelicae charitatis studia profitentem, et ad quamdam Suavicinam eremum a Paulo tantisper accitum, in sublevandis aegrotis gloriae palmam

(1) V. Cancellottum — *Istoria Settempedana Ms.* —
(2) Idem ibidem.

nemini concessisse. Ita suis, ita exteris apprime charus, operam iisdem suam in coenobio nostro solers impendebat. Raptus quandoque in extasim, et Angelorum consortio recreatus Plebani majoris Ecclesiae nostrae mentem in admirationem pertraxit. Erat hic vir moribus inculpatis, laborum patientissimus, in disceptationibus scholasticis minime rudis. Hisce rebus cum uteretur mirifice inter Minores, sub Fratris Massei nomine adlectus, prae caeteris eminuit. Quare ad summos innocentiae gradus evectus sepulchrum perhonorificum habuit apud Murrenses in Ecclesia Fratrum, in qua et nunc colitur uti Beatus. De eo Wadingus, Cancellottus, Benofius (1), aliique. Iisdem sanctitatis honoribus insignitus fuit Bentivolius, ubi Septempedae adquievit. Magna oppidi frequentia elatum fuit corpus ejus ad Ecclesiam Minorum. Eum miraculis coruscantem inter patronos adlegerunt cives (2) ex decreto Decurionum, sacris ejus lypsanis laudatione quotannis in Dominica III. quadragesimae hone-

(1) Annal. tom. I. — *Vita di S. Severino* — *Comp. di Stor. Min.* — Chron. Min. par. 2. lib. 5.

(2) Anno 1759. ex lib. cons.

statis. Videndi sunt Francus, Wadingus, Mazara, Cancellottus, Turchius, Benofius, aliique (1).

A. C. 1223 Minorum rebus ita statutis, legimus, anno 1223 die 10 junii Attonem Episcopum Camerinensem, Fratre Paulo exorante, Ecclesiam s. Salvatoris exemptionibus, et Moniales inibi inclusas donariis juvasse, ac Divum Franciscum ejusque successores illarum negotiis (2) praefecisse. Attone mortuo, in ejus locum Raynaldus suffectus est, qui in eas gratiosior quo-

A. C. 1224 que fuit. Nam ipse anno 1224 die 8 decembris Fratrem Paulum Romae agentem fuit allocutus, et ad confirmandum Attonis diploma animum rursus adjecit. Literarum haec sum-

---

(1) In actis s. Bentivolii — Annal. ad ann. 1232 — *Legen. Franc.* — *Vita di S. Severino* — Cam. sacr. — *Compendio di Storia Minoritica.*

(2) *Omnes exactiones temporales* (ait Atto) *mihi debitas ab eisdem* (Mulieribus), *et dicta Ecclesia, et mulieribus ibidem permanentibus, tibi pro eisdem mulieribus quieto, et remitto* . . . . . Concedit exinde Atto licentiam mulieribus s. Salvatoris *habendi correctores de Fratribus Minoribus, illos videlicet, quos Frater Franciscus, vel ejus successores, vel capitulum ipsorum Fratrum voluerint.* Quo certiores, uti notat Turchius, reddimur, Monasterium hoc a s. Francisco fuisse fundatum.

ma: liceret Monialibus quorumdam bonorum dominium retinere (1), ne forsan cogerentur Monasterii septa relinquere ad victum sibi quaerendum. Nec mirum: regulam s. Benedicti, cui bonorum possessio non repugnabat, Moniales s. Damiani sub initio profitebantur, teste (2) Garampio. *Pandulphus* etiam *Honorii III. Subdiaconus et Notarius*, *Apostolicae Sedis Legatus*, ne quid Inclusis ab Abbate *de Domora* negocii esset, suis cum literis Maceratae latis anno mox recensito eum admonuit, *censum* (3) *sex solidorum Monachis debitum nomine Ecclesiae s. Salvatoris in duodecim denariis tantum annis singulis reducendum* edixisse, ne loci recognitio periret. Quod vero ad Inclusarum pietatem in Deum attinebat, sat dicere, sanctitatem religionis et Francisci instituta inibi adeo excoluisse Palmam, et Pacificam Bentivolii sorores, ut se

(1) *Habendi molendinum, quod habent nunc, et acquirendi tantam vineam, quod ex ea percipiant, et habeant L. sarcinas vini* — Ex Turchio —

(2) *Memorie Ecclesiastiche appartenenti alla istoria, e culto della B. Chiara di Rimino.*

(3) Datum apud Maceratam XI. Kal. martii Pontificatus Domini Honorii III. Papae anno VIII. — Ex Arch. Cap. —

exemplaria perpetua integritatis populo transmitterent. Pie sancteque omnium lacrymis honestatae adquierunt (1).

Sed non diu superstes Honorius Pontifex fuit. Postero ab illius obitu statim die Gregorius hoc nomine IX. sublegitur, Ugolinus Cardinalis Episcopus Ostiensis antea vocatus, natus patre Signiae comite, et Innocentii III. ex fratre nepos. Is Ecclesiae regimen vix dum auspicatus Moniales S. Salvatoris de sua dilectione certiores reddidit, simulque ad austeriorem vitam promovendam impensius (2) hortatus est. Ipse etenim *in minori officio constitutus* curaverat, ut Abbas *de Domora* de relato censu omnino abrogando legem ferret, ut Atestini Marchiones *immunitatibus saecularium exactionum* eas exornarent, utque Episcopi Camerinenses uberioribus privilegiis cumularent. Quare, ubi Franciscum Assisiensem Sanctorum numero adscripsit, literas ad Moniales s. Salvatoris, amoris atque laetitiae plenas, ipse dedit anno 1229 XV. kalendas fe-

A. C. 1229

(1) Confer Turchium.

(2) Vide literas Innocentii IV. Perusiae latas anno 1252. VIII. Kal. novembris.

Google

bruarii, easque *sub B. Petri protectione* (1) suscepit. Antequam vero e Palaestina in Italiam Fridericus II. rediret, et, seu Ecclesiae censuris, seu foederatorum metu territus armisque fractus, pacem a Gregorio, ac solutionem a sacris vinculis supplex peteret; Pontifex in tanta humanarum divinarumque rerum perturbatione Moniales iterum dixit *Apostolicae Sedi* mancipatas (2).

A. C. 1231

Subit annus saeculi alter ac trigesimus, in quo Gregorius Perusiam iterum concessit ad motus inibi civium componendos. Sed brevi seditio in urbe maxima exorta est, Annibale Anibaldo senatore faces subeunte, et passim in Italia intolerandae tyrannidis exempla modo Guelphis, modo Ghibellinis edentibus. Non defuit muneri suo Gregorius Pontifex, et literas ad dynastas dedit (3) enixe eos deprecatus, omni ope curarent saevos dominos, si fas, ad pietatem adducere, atque impellere.

(1) Ex tab. Capit.

(2) Ex literis latis Perusiae anno 1229. XV. Kal. aprilis — *Priorissae, et Sororibus reclusis Monasterii s. Salvatoris de Colpersito.*

(3) Epist. 119.

Digitized by Google

Hoc eodem anno II. nonas augusti Reate data (1) legitur Gregorii epistola ad moniales s. Salvatoris, in qua civibus nostris monasterii indemnitas commendatur. At *Robertus laicus I.*, *et S.*, *aliique Camerinenses*, *Firmani*, *et Esculani* earum fortunas aggressi sunt, easque vi retinuerunt. Rem conciliaturus Gregorius ad Episcopum, et ad *Potestatem* Auximanum anno 1241 VI. kalendas februarii amantissime scripsit (2). Neque silentio praetereundum, iis in chartis, aliisque mox adducendis, Sanctimoniales ipsas *Dominarum* titulo fuisse honestatas. Abbatissae enim, et Sorores inclusae s. Damiani, in exemplum constantiae Benedictinis virginibus fulgentes, harum munera, probantibus Pontificibus, adimplebant.

A. C. 1241

Dum haec inter nos agebantur, et Romani Pontifices erant solliciti de subsidiis mittendis periclitanti Latinorum imperio ad Tartaros arcendos a finibus christianorum; Frater Peregrinus e Falerono ad sepulchrum Domini venerabundus accesserat. Ex nobilissima gente

(1) Ex arch. capit.
(2) Ibi.

Brunfortia (1) natus, et in Bononiense gymnasium imperio patris proficisci jussus, ut literis operam daret, non obscuris ingenii doctrinaeque notis emicuerat. Sed, abdicatis rerum humanarum curis, soli Deo incorruptam mentem, ac pene divinam, semper inflexam servavit. Permotus fama Divi Francisci Bononiae anno 1220 concionantis (2), Minorum institutum caeteris praeferendum ratus, eo se recepit, ut inibi perfectioris humilitatis metam attingeret. Et revera adeo insignes in sui contemptu progressus eo in ordine fecit, ut dignissimus a B. Bernardo e Quintavalle (3) Seraphici patris socius habitus fuerit. Postquam vero e Palaestina (4) sibi discedendum statuit, et in Italiam circa annum 1234 reverti (5); oppidum nostrum tandem praeferendum censuit, nec alio, procul a coenobio isto sui de-

(1) Confer Speculum, Pisanum, Wadingum.

(2) Sigonius de Episcopis Bononiensibus.

(3) Pisanus, Wadingus.

(4) Calaorra *ist. cronol. lib.* 2.

(5) *Memorie di s. Liberato di Loro* — *Mem. sulla vita del B. Pellegrino di Fallerone* — Arturus martyr. — Bollandus. — Cancellottus *vita di S. Severino.* — Marianus Florentinus. Marcus Olysip. chron. — Benofius, aliique.

licio, commigrandum duxit. Quare apud nos vitae cursum peregit, et in Ecclesia Minorum publicis sanctitatis encomiis fuit exornatus (1).

Ubi Innocentius IV. in Italiam ob Friderici II. mortem fuit regressus, cum annos fere septem Lugduni mansisset, non solum monuit, sed etiam praecepit Priori Ecclesiae nostrae, ne Moniales s. Salvatoris conqueri de civibus possent. Summa diplomatis Perusiae lati anno 1252 IV. nonas novembris (2) haec erat: ut sine ulla mora ab earum fortunis molestias respublica abduceret, et nihil agri gravatum, nihil jurium earum violatum relinqueret. Valde quoque ea omnia probavit, quae Philippus Episcopus Camerinensis ad Monasterii indemnitatem spectantia gesserat. Imo voluit, ut sic fieret, quemadmodum ipse consuluerat; scilicet, ut Episcopo Camerinensi nihil persolveretur ultra id, quod Philippus

A. C. 1252

(1) Pius VII. anno 1821. die 31. julii jussit cultum publicum, ab immemorabili aevo exhibitum B. Pellegrino, Caesare Brancadoro Cardinale Archiepiscopo Firmano, Jacobo Ranghiascio Episcopo nostro, Clero, Magistratu, et Populo Faleroni in primis curantibus.

(2) Ex tabulario capit.

census nomine ei quotannis curari jusserat: Monasterio autem quae debebantur, restituendi ea ratio adhiberetur, quae Monialium procuratoribus esse commodior ad oppidi otium videretur. Mandavit etiam Pontifex ea lege, quae de majestate est, omnibus quidem primum, ut ab omni prorsus incursione, et praeda, vel direptione Monasterii, hinc etiam a quantulacumque laesione rerum, quas *in agro Paliuliti*, *Massaccioli*, *Mommajani*, *Eskiti*, *Fontisdonnicae*, *Collispersici*, *Castellaris de Allano*, *et Vallis s. Andreae* Moniales habebant, abstinerent. In quibus ipsis, ne studia civium ulla ex parte ab Apostolica Sede desiderarentur, utque curam diligentissimam ipsi adhiberent, eadem lege eos Pontifex monuit. Perusiae datae sunt literae *Abbatissae Monasterii s. Salvatoris*, *ejusque sororibus*, *quae sub B. Benedicti regula*, *atque institutione Monialium inclusarum s. Damiani Assisinatum* vivebant (1).

Adventantem iterum in Italiam Conradum

---

(1) Ex literis latis anno 1252. VIII. Kal. novembr. penes tabul. capit.

Friderici filium Innocentius de pace interpellare operae pretium duxit. Sed neque officia, neque argumenta apud profanum principem valuere. Imo, Conrado extincto, Campaniae urbes Manfredo sese haud aegre dedidere, cum Germanorum imperium exosum haberent. Hinc Neapolim a civibus Pontifex invitatus, ea in urbe decessit. Justis, antiquo ex ritu, defuncto persolutis, Cardinales haud cunctati Raynaldum, ex Comitibus Signiae, Episcopum Cardinalem Ostiensem ac Veliternum, Summum Pontificem elegerunt, atque Alexandrum hujus nominis IV. appellatum in Petri solio collocarunt. Is Romam reversus Rectorem Marchiae Anconitanae admonuit anno 1255, ut ab intolerandis consiliis Augustinianas s. Mariae de Submonte revocare, et ad debitum Monialibus s. Salvatoris obsequium praestandum impellere omnino curasset. Sed nihil perficere, rationibus alio (1) adductis, sese animadvertit Rector; et Philippo Abbati Arabonensi anno 1258. Pontifex scripsit, ne prorsus quidquam Augustinianae agerent, statuerentve in Clarissarum offensam. Anno vero 1261

A. C. 1255

A. C. 1258

(1) Confer chronotaxim Arabonensem.

Virgines de Submonte apud Urbanum IV. facile se purgarunt. Nam, quae eis de Monasterio creando objiciebantur, erant ejusmodi, ut quaesita potius a Manfredianis asseclis insimulandi Augustinianas quoquo modo causa, quam possent videri merito suscepta fuisse.

Viterbii adhuc agebat Urbanus Pontifex, cum in Manfredum piam Crucis militiam indixit. At foederatas Galliae Cisalpinae urbes, ne Romanae Ecclesiae partes in Gibellinos Manfredi asseclas sequerentur, mirum in modum distrahebat Ubertus Pallavicinus. Et fuit sane perutile, Carolum Andegavensem regem Siciliae ac Neapolis tandem renunciatum esse a Clemente IV., qui Perusiae tum erat, ut insidias a Gibellinis instructas vitaret. Sed ubi Gallorum copiae per Alpes Grajas et Cottias Parmam incolumes pervenere, et per Æmiliam, ac Picenum delatae sunt; pax reddita fuit etiam civibus nostris, qui sub Manfrediana tyrannide jam viderant oppidum armis perturbare *Nutium Domini Raynaldi Domini Salimbeni*, a quo Gismundus Smedutius hinc ortum habuit, et ejus gens Smedutia dicta. Dum ita Clemens auctor erat, ut dissidentes Principes in Italia inducias inter se statue-

A. C. 1260

rent; Divus Bonaventura, habito secundo Narbonense conventu, in Italiam anno 1260 erat regressus, ut s. Francisci vitam rursus ederet. Hac de re ipse aliquandiu fuit commoratus in coenobio nostro; et tum ipse rescivit, apud Oppidum nostrum *Beato patri* professione cohaesisse Pacificum, de quo supra egimus. Audiit tunc temporis, inter nos rapido lapsu fuisse super quemdam trahentium devolutum lapidem praegrandem, et *assistente sibi B. Francisco, et lapidem sublevante*, absque omni laesione sanum et incolumem, lapidis projecto pondere, prosilivisse (1). Sunt qui (2) scribunt, eo tempore Bonaventuram ad filios *Domini Raynaldi Domini Salimbeni*, qui ob *Gaglioli* dominatum opibus (3) superbiebant, Franciscalium nomine retulisse, consuetudines in

(1) S. Bonav. tom. V.

(2) V. Cancellottum *ist. Settemp. Ms.*

(3) In rubric. declar. Nobilium veteris statuti Sanctiseverini ita — *Domus Dni Raynaldi Dni Salimbeni.* Francus in antiq. Septem. scripsit — *Deo te salve Messer Atto da Gagliole.* — Album vero Smedutiorum hoc fuit. *Atto — Salimbenus — Atto II. — Raynaldus — Nutius — Gismundus Smedutius primus Vicarius — Cola — Bartholomaeus — Honuphrius — Antonius* — Ex Cancellotto loc. cit.

Minorum ordine constitutas magna ex parte ob Coenobii et Ecclesiae tenuitatem remitti sic, ut neque horae profitendi, neque conventus audientium, neque sacra haberi solita custodirentur. Eam rem aegre sane tulit strenuissima Attonis gens, et operam ipsa dedit, ut omni ex parte juxta Divi Bonaventurae sententiam ea Coenobii et Ecclesiae, quam nunc videmus, amplificatio conficeretur. Sacra tum aedes a s. Francisco nomen habuit, et Divus Bonaventura sub ara collocavit exuvias B. Peregrini a Fallerono (1) miraculis jam tunc coruscantis. Haec ante annum 1274 sunt omnino rejicienda: nam a Gregorio X. ad Concilium Lugdunense vocatus fuit s. Bonaventura, invitus et reluctans Episcopus Cardinalis Albanus creatus, in quo honore, anno 1275 nondum elapso, et Concilio adhuc durante, Lugduni (2) feliciter migravit.

A. C. 1274

Pontifices inde sublecti statim animum

---

(1) Ex decr. S. R. C. — Urna vero, in qua hodie servantur lypsana B. Peregrini, aere publico ex decreto Decurionum instaurata fuit anno 1465. die 12. maii — *Ex lib. cons.* — Vide Marianum Florentinum, et Wadingum.

(2) Ciacconius *vitae summ. Pontificum tom. II.*

pacandis Italiae rebus adjecere. Mandata Etrusci, maxime Florentini, fecerunt: Genuenses et Veneti, quorum odia satis incruduerant, in pacis sententiam venere: Rodulphus Romanorum rex Exarchatum, Flaminiam, et Æmiliam Romanae Ecclesiae restituit, universis Germaniae Principibus comprobantibus. Sed brevi Guelphi et Gibellini de vita et sanguine inter se denuo certarunt, et Nicolaus IV., seditionibus Romae excitis, Reatem in Sabinis proficisci coactus fuit. Tum Moniales s. Salvatoris conquestae apud eum graviter sunt, quod monasterii jura homines hostili animo atque impetu essent aggressi. Quae res quoniam contra initas cum Romanis Pontificibus pactiones in primis erat; illarum privilegia Nicolaus duxit innovare suo cum diplomate (1) Reate obsignato anno 1288 idibus septembris. Postquam vero urbanae controversiae tantisper fuerunt sedatae, et ipse Romam reversus apud Basilicam s. Mariae Majoris sedem fixit; hortatus est Episcopum Auximanum, daret quamprimum operam mandaretque, ne quid posthac a quovis detrimenti Monialium juribus, quae

A. C. 1288

(1) Ex tabul. Capit.

eo in agro habebant, inferretur. Puniret etiam mulctaretque raptores, qui eis tantum molestiae, tantumque jacturae hostiliter attulerant. Romae datae sunt literae anno 1289 XV. kalendas februarii (1). A. C. 1289

Eodem anno praeclara Rambotti Episcopi Camerinensis benevolentiae signa ipsae acceperunt. Is enim Dominica III. maii solemnibus pompis (2) Ecclesiam s. Salvatoris dedicavit. Ut vero memoria esset testatior, Nicolaus IV. una cum Archiepiscopis VIII., et Episcopis XXXIII. noxarum veniam omnibus est pollicitus, qui ex recepto pridem more eam inaugurationis die rite visitassent. Et, ut cultus ss. Salvatoris, Divi Michaelis Archangeli, et s. Clarae in dies propagaretur, alias eidem Monialium templo indulgentias adtribuit Pontifex cum literis (3) Romae latis anno 1292 V. kalendas martii. Urbanis enim rebus sat pacatis eo se Nicolaus transtulerat, et extructas apud Exquilias aedes incolebat. A. C. 1292

At in civili seditione diuturna iterum de-

(1) Ibi.

(2) Turchius *Cam. sacr.*

(3) Ex tab. Capit.

certarunt Itali. Gibellini summa clientum potentia ac multitudine elati, Pontificem vicissim despicere non verebantur. Inimicitias exortas augebat in oppido Smedutia gens, et Romanae Ecclesiae mandata passim rejiciebat. In tot igitur dissensionum ardore fuit sane civibus permolestum. Monialibus s. Salvatoris, de republica optime meritis, in colligendis Ecclesiae fructibus negotium fieri. Laetabundi tamen ipsi viderunt, Clementem VI. sibi quammaxime Andream ex Minorum Ordine civem nostrum devinxisse. Ipse enim inter familiares (1) Pontificis adlectus romanae rei percommode adfuit, et eo claritatis evectus est, ut fama ejus trans Alpes pervagaretur. Vir ingenio alacri prima aetate scholasticas quaestiones, posteaque legum studia adamavit.

A. C. 1343

A. C. 1368

Anno 1368 Marcus Episcopus Camerinensis (2) inauguravit Ecclesiam Fratrum Minorum in oppido nostro. Ut vero res, quemadmodum Marcus volebat, conficeretur; eo in negotio nihil ipse praetermisit neque studii,

(1) Ibi.
(2) Diplomatis Marci exemplar relatum est a Catalanio in notis ad Pontificale Romanum — Turchius —

neque laboris. Curaverat enim, ut alii sexdecim Episcopi rem diligenter administrassent. Sed jam Clemens VI. *Flagellantium* sectam damnaverat, quae orta in Italia satis propagata fuerat (1) in Germania praesertim, et Gallia; et Innocentius IV., ac Urbanus V. Italiam, adversis doctrinis adhuc aestuantem, prudentia et auctoritate pacabant. Hinc legimus, anno 1370 Fratrem Joannem Cicchium civem nostrum (2) a vice sacra in Marchia Anconitana designatum fuisse *pro Alberico de Ubaldinis a Florentia Ordinis Minorum*. Brevi tamen universae pene Tusciae, Piceni, Flaminiae, Æmiliaeque civitates atque oppida a Pontifice defecerunt; et, nisi sero, Bonifacius IX. pontificiam restituit majestatem, tyrannis undique debellatis. Tum equidem Smedutia gens oblivionem injuriarum, non vindictam, liberalitatem, non potentiam exercuit. Quare animum ipsa applicuit ad res augendas *Sororum s. Mariae Annuntiatae tertii Ordinis B. Franci-*

A. C. 1370

(1) Ipsa docebat, ut mittam errores caeteros, non posse aeternam beatitatem consequi nisi eos, qui cruentati flagellis ipsi se baptizarent sanguine suo.

(2) Ex tab. Capit.

sci de Poenitentia, quae in oppido (1) *domum* posuerant. Neque, absoluto Concilio Constantiensi, eas neglexit Martinus V., easque eximio fovit affectu Eugenius IV., christianae rei dilatandae zelator praecipuus (2). Dum ita *Poenitentium* rem mira prorsus ratione Deus firmabat; victricia arma Sfortianorum militum non solum reipublicae nostrae erant periculosa, verum etiam et tristia et misera afferebant aedibus s. Mariae de Submonte, et ss. Salvatoris.

A. C. 1418 1431

Cum Eugenius IV. exploratum haberet, Gabrielem ab Ancona, cui summum Fratrum de Observantia imperium in provincia demandatum fuerat, magnae esse apud nostros auctoritatis; vehementer ab eo petiit, imo suis cum literis IX. Kalendas februarii, et pridie idus augusti anno 1441 Florentiae latis omnino voluit, ut procurationem ipse iniret aedis s. Mariae de Submonte, utque Gasparam Abbatissam, aliasque binas sorores juvaret, quemadmodum Pontifex *sexennio elapso* exoptaverat.

A. C. 1441

(1) Ibi.
(2) Ibi.

Et quidem difficillimis iis temporibus salva res stetit. Multa praeclare gessit Gabriel; et Frater Jacobus Brigolottus civis noster Eugenii jussa (1) confecit, sibi et Franciscalibus gloriam pariens sempiternam. Nam anno 1448 ea societas, quam *de Observantia* vocant, in Augustinianarum sede moram fixit, Beato Petro de Macarone cive nostro adjuvante. Quae vero ad nos perferri per Rodericum Borgiam Cardinalem, et Marchiae Anconitanae Legatum, perque literas Romae obsignatas anno 1458 XIV. Kalendas maii Callistus III. curavit, ea nobis plane molesta fuerunt. In iis enim agnovimus, eas s. Salvatoris Moniales omnino defecisse, quas Divus Franciscus unice dilexerat. Ubi vero (2) Picentes et Umbros contentionibus distractos, ac magnis caedibus foedatos, auctoritate sua tandem sedavit Pius II.; nihil ipse praetermisit eorum, quae ad nostrarum Poenitentium utilitatem pertinebant. Privilegia, quae eis Martinus V., et Eugenius IV. concesserant, lubenti animo ipse firmavit (3).

A. C. 1448

A. C. 1458

(1) Ex rogitibus Antonii Petri Marinutii

(2) Ex tab. cap.

(3) Ex tabulario Capitulari.

Venit hoc ipso tempore in s. Mariae Gratiarum (1) aedem B. Dominicus a Leonissa. Natus (2) in comitatu nostro diu cum parentibùs illud Aprutii oppidum incoluerat, ex quo cognomento Leonessianus. Apud frequentem populum Nicolaus Auximas minorita e superiore loco verba faciens ex more, eum a saeculo ad ordinem Observantiae (3) adduxerat. Vir moribus atque doctrina eximius brevi in urbes, amplitudinis et sapientiae sedes, missus, septies est auctus Provincialatus insignibus, de re oratoria optime meritus. Ita ipse per Italiam discurrens potuit omnium ad se mentes convertere, mulcere doctos et indoctos, tenere plebis optimatumque frequentiam, et ita influere (4) in sensus B. Petri de Molleano, ejus diluere objecta, mollire difficultates, et faces, ut ita dicam, ejus voluntati subjicere, et se-

(1) Hoc nomen obtinuit sacra aedes *de Submonte*, postquam Fratres de Observantia illius procurationem inierunt.

(2) Severanus — Chron. Ordinis ex Mariano.

(3) V. Cancellottum. *Ist. Settemp.*

(4) *Petrus de Molcano .... a Dominico Leonessiano Minorita egregie pio, et docto pro rostris dicente ad Ordinem Minorum conversus — Ex script. Ord. Min. Romae* 1806. —

cum eum adducere obsequentem ad Minoriticum institutum. Dominicus anno 1466 ad Fabrianenses (1) confugit ex vulgari lue miserrime conflictatos, et apud eos cum animi candore ejus doctrina certavit. A. C 1466

Anno 1469 Paulus II. in illud incubuit, ut Moniales *s. Mariae Annuntiatae* eisdem cohonestarentur privilegiis, (2) quibus Anconae, ac Fulginei Sorores tertii Ordinis s. Francisci fruebantur. Curavit insuper idem Pontifex, ut Episcopi Camerinenses nihil in earum immunitatem decernerent, utque jus eis facerent noxarum expiatorem eligendi (3). Et quia cives etiam nostri ex memorata lue splendoris multum amiserant anno 1489; Joannes Baptista Caccialupus (4) Innocentio VIII. sane mul- A. C 1469 A. C. 1489

---

(1) Chron. Ordinis ex Mariano.

(2) Ex tabul. Capit.

(3) Romae datae sunt literae anno 1469. VI. idus aprilis apud s. Petrum — *Ex tabul. Capit.* —

(4) Joannes Baptista Caccialupus de Sanctoseverino in Piceno, clarissimus jurisconsultus, docuit jus civile in Senensi gymnasio, ubi etiam jus dixit, circa annum 1464. Tum Romae floruit Advocatus Consistorialis sub Alexandro VI. Scripsit *Repetitiones* quamplurimas in Digestum, et Codicem, et Tractatus *De Advocatis*: *De debitore suspecto*, *et fu-*

ta narravit, quae Pontifici misera admodum fuerunt. Paterne eum amabat Innocentius, vel propter ejus eximiam doctrinam et mores ac nobilitatem generis, vel quia Advocatus consistorialis erat, et illius animi erga se plenam benevolentiae voluntatem a primis annis sibi perspectam libentissime agnoverat. Quare suis cum literis Romae latis (1) apud s. Petrum V. nonas Julii voluit eum scire, nullum se grati animi signum praetermissurum, ut oppidum intelligeret, Caccialupium sibi esse charissimum, semperque fore. Et sane ejus auctoritate civibus Innocentius multa remisit de *talearum* solutione. Posthac scimus, B. Dominicum ardentius laborasse, ut religio, telis omnibus appetita, erecta et nobilitata consisteret, novisque in dies accessionibus augeretur. Eloquia igitur divina, sive literis consignata, sive quo-

---

gitivo: *De pactis*, *et constituto*: *De transactionibus*: *De feudis*: *De ludo*: *De pensionibus*: *De unionibus Ecclesiarum*, *et Beneficiorum*: *De modo studendi in utroque jure*: *Defensorium juris*: *Disputationes*. — *Ex Carafa de Professoribus gymnasii Romani* — Marius Salomon Albertiscus eques romanus . . . Auditor fuit Baptistae Caccialupi — *Carafa ibi* —

(1) Ex tabul. Capitulari.

dammodo per manus tradita, atque haereditario jure transmissa, ipse per Italiam diffundens anno 1497 obiit (1) Urbini. Fuit charus Vidoni Ubaldo II. Urbinatum Duci, qui eum aegrotantem excepit, eique sepulchrum voluit donari in Ecclesia Monialium s. Clarae, quibus a re sacra moderator extiterat. (2)

A. C. 1497

Moleste dein cives tulerunt, in s. Mariae Gratiarum vitam deseruisse B. Petrum, de quo supra meminimus. Is longo, quo vixit, spatio laudis encomia moribus, scientia, et regendi coenobii artibus ita promeritus fuit, ut eum, nulla hominum gratia suffultum, magnis vero animi dotibus commendatum, Franciscalium moderatores semel et iterum in partem laboris adsciverint (3). Praevalentibus enim eo tempore strictioris observantiae Patribus, Conventuales, primaevis suis privilegiis suffulti, ad unionem cum Observantibus, et

(1) Chron. Ordinis ex Mariano. Antonius Maria Boniccius.

(2) Confer Bollandum, Severanum, Wadingum, Mazzara, Cancellottum, Turchium, aliosque.

(3) De eo Wadingus ann., Severanus de pret. mort. just., Mazzara in leg. Franc., Cancellottus in vita s. Severini, aliique.

A. C. Reformatis ineundam adduci minime poterant.
1517 Quare Leo X. suis cum literis latis anno 1517 Conventuales a reliquis Franciscalium societatibus separavit, eisque Ministrum generalem
A. C. cum quadam restrictione concessit. Summo stu-
1519 dio anno 1519 egerunt cum eodem Pontifice Sorores s. Mariae Annuntiatae, ut de regula Divae Clarae amplectenda, deque monasterio praeficiendis Fratribus Observantiae ipse statueret. Et sane Leoni res grata accidit atque jucunda: suam in Moniales, quas Clarissas tum dixit, benevolentiam adauxit. Id ex literis latius intellexere Episcopi Camerinenses. (1)

Ut vero ad Conventuales redeamus, ii beneficio subsequentium Romanorum Pontificum nixi ab aliis Franciscalium societatibus separati, nulli, nisi Supremo Ecclesiae Principi, fuerunt subjecti. Haec est illa percelebris Bulla unionis, per quam Ordo Seraphicus divisus est in duas congregationes, et a duobus distinctis Ministris generalibus gubernatus. Nec taceo eximiam Cappuccinorum familiam, quae

---

(1) Confer Gonzagam de orig. Seraph., et Hieronymum Talpam in *ist. Settem.*

gradatim crescere coepit, a peculiari Magistro administrata. His de rebus cives nostri Fratrem Gratum tanti faciebant, quantum ejus virtus atque dignitas postulabat. Natus in oppido nostro, et in Cappuccinorum coetum cooptatus (1) mira contentione literis incubuerat. Inter primos connumeratus, qui ad reformationem accesserant, magnam integritatis, et constantiae laudem promeruerat in tempestatibus perferendis ex Ochini lapsu excitatis. Altissimae paupertatis viam ingressus ad cives nostros literas dederat, quibus postulabat, Cappuccinorum societatem haberent rogatu suo quamcommendatissimam, vellentque operam dare, ut eorum coetus esset inter nos semoto aliquo et secreto in loco. Brevi spoponderunt (2) ei cives, se illa in re ituros perquam sane diligenter. Sed dum cives ab universo Canonicorum ordine impetrabant aedem s. Salvatoris, ut habitare in ea commodius Fratres ipsi possent; in Æsino conventu ad virtutum praemia conscendit Gratus. Qua de re tota, quid civi-

(1) Ex ann. Min. Cappuc. P. Zachariae Boverii. Lugduni 1632.

(2) Ex Talpa.

A. C. 1576 bus tum statuendum esset, mature internuncii ad id selecti considerarunt, et anno 1576 die ultima aprilis Cappuccinorum familiam in fidem receperunt, publica impensa (1) florenorum bis mille coenobio coempto ac restituto. Ibi anno 1577 tanta cum integritate et virtute vivebat Frater Gratia, ut nihil in eo requirendum esset, quod ad amplissimum civem pertineret, ingenio, moribus (2), religione. Ipse ante annos mortem non exhorruit: non perturbationis, aut inconstantiae signum aliquod edidit, sacris nondum initiatus.

Interea Moniales Ss. Annuntiatae consilium agitabant novam Clarissarum domum in oppido Montiscassiani aperiendi: et Gregorius XIII. suis cum literis Romae obsignatis anno 1577 Kalendis junii indulgebat eis, ut illo se conferrent. Hac tamen in cura, quicquid jussisset Minister Provincialis Fratrum de Observantia, id ita imperatum voluerat esse Pontifex, uti esset, ipse idem si jussisset. Quare anno A. C. 1584 1584 Frater Valentinus Servantius, Astolphus

---

(1) Ex publicis monumentis.

(2) Boverius sub anno 1578.

antea dictus, vicarius hac in re fuit, et singula (1), uti negocium ferebat, consulto atque prudenter tribus cum Monialibus administravit. Homo erat integer, apertus; nihil habebat ficti, nihil simulati. Ab ineunte aetate sedulam christianae reipublicae operam navaverat, et varia munera, probantibus omnibus, adimpleverat. Eum merito collaudaverant Patres Concilii Tridentini, et mira benevolentia amplexus erat (2) Angelus Massarellus Episcopus Thelesinus cum maxima commemoratione laudum suarum. Res magni momenti inter Franciscales adlectus confecerat. Doctrina tota Italia celebratus majorum laudem erat supergressus. Et quia otium cum dignitate honoribus semper (3) antehabuerat; iis diebus in patrium coenobium erat profectus.

Sed Conventuales etiam in Divi Francisci fungebantur officio hominum pientissimorum. Mathiam Severanum integrum civem, atque in bonarum artium studiis tum nostra, tum

(1) Ex actis Vidonis Guerra.

(2) Confer elogium historicum alias relatum.

(3) Videndi Pallavicinus, Sbaralea add. ad Wadingum, Michael Justinianaeus, Ludovicus e s. Carolo in bibliot. pont., aliique.

latina lingua facile praestantem virum, multos jam annos majores nostri unice diligebant. Is Franciscam e Serrono, mulierem optimam, ac bonorum opinione (1) sanctissimam, tertio Ordini addixit. Nemo fere vir sanctitate conspicuus in Piceno tunc erat, qui Franciscae auditor (2) non fuisset. Tanta et tam constanti fama permoti cives, et qui rerum potiebantur, eam honoribus cumularunt, et testati sunt, ex hoc fonte se mira quidem hausisse. Virginis colloquio recreata edidit sanctitatis indicia. In Deiparae Luminum sepulchrum habuit, publice celebrata a Trajano Bozzuto Philippiano, et mox Episcopo Caprensi. Anteactam ejus vitam moresque exposuerunt Antistites nostri, qui publicis in tabulis retulerunt, Ecclesiam illius obitu magnam fecisse jacturam. Jacobus Ranghiascius Episcopus ejus memoriae consulens honorabiliorem in tumulum transtulit corpus. Vivebat eodem tempore Sanctes Sacconius, qui natus in agro nostro

---

(1) Victorellus *Libro dei Giubilei*, Baccius *vita di s. Filippo*, et Joannes Rhò *Sab. del Gesù di Roma.*

(2) Ejus gesta enarrarunt Mazzara in *leg. Francisc.*, Julius Scampolus, J. B. Cancellottus, Achillaeus, aliique.

tertium Ordinem pariter subierat. Propter eximias ejus virtutes Angeli Custodis familiaritate delectatus est. In oppido Montismilonis a teneris annis ipse consederat, ibique senio confectus functus est vita, et in Ecclesia s. Francisci humatus fuit (1). Anno 1593 tota ex Marchia Anconitana ad oppidum nostrum convenere Conventuales, ut in novo Provinciali creando suffragiis decertarent. (2)

A. C. 1593

Quanto studio, quantaque pietate res nostras omni tempore juvisset Frater Ægydius, ex Cappuccinorum annalibus intelligimus (3). Ortus ex nobili Grassiorum gente inter nostros Cappuccinorum institutum ingressus fuerat, theologiae studio clarus, vitae exemplo illustris, et concionator eximius. Eum de sola virtute cogitantem honores ultro sunt consecuti. Decessit Anconae anno 1622. Sed jam Fratres de Observantia quotidiano in convictu habebant Fratrem Felicem de Felicibus, et ejus consuetudine mirifice delectabantur. Vir

A. C. 1622

(1) Ex vita Ms. — Marangonius in lib. de Angelis Custodibus.

(2) Ex patriae annalibus.

(3) Vide P. M. de Offida Vol. I.

et genere apud nos admodum illustri, et doctrinae optimarumque artium et literarum praestantia, et agendis rebus experientia, et morum probitate, omnisque vitae comitate plane erat insignis. Eum his tot tantisque de causis brevi ad urbem accitum et amaverant ii, qui nomini christiano propagando erant adscripti, et ejus virtute ita erant usi, ut vix nemo illo eis charior esset, nemo jucundior. Et sane gratum mihi admodum est id, quod ex annalibus Ordinis ad nos perfertur, Felicem nempe in Æthiopia pro fide (1) sanguinem effudisse.

Haud multo post Gregorio XV. successor fuit datus Urbanus VIII. antea dictus Maphaeus Barberinus, literis perbelle excultus, nec inter poetas infimi nominis. Is anno 1624 suis cum literis Romae obsignatis die 28 augusti indulsit, ut Fratres de Observantia coenobium s. Mariae Gratiarum vacuum facerent, ejus-

A. C. 1624

---

(1) De eo Petrus Laquiete *Gerarc. Francisc.*, Fortunatus Huverus *Menologio*, *Orbe Serafico* tom. 2. ubi — *P. Felix a Sanctoseverino de Marchia cum aliis duobus in Æthiopia capite truncatur in odium fidei catholicae, Missionarius Minorita.*

que administrationem adirent Reformati. Statim inter eos ad omnem pietatem, et ad optima studia institutus fuit Frater Franciscus e Torricella. Idem semper ei adfuit morum tenor, idem vitae et disciplinae cultus. Nihil in eo subsecuti honores mutarunt, nisi ut privata virtus ad innocentiae culmen evecta longius coruscaret Pisauri, qua in urbe ipse (1) decubuit. Thomas Fratebianchius pari vitae exemplo, morumque modestia emicuit. Ad praecipuos Ordinis gradus evectus, praefecturas gessit prudenter, et pietatis studio cuncta gubernavit. Ut coepta in Gratiarum aede ipse perficeret, anno 1660 die 17 novembris Alexandri VII. amore fortiter usus inter nostros (2) *professorium* aperuit, ut virtutum esset exemplar. Mox corpus (3) s. Calogerii, qui Romae martyrium passus erat, anno 1662 in Divae Mariae templum deduci curavit. Anno insequenti die 1 julii Maidalchinus Episcopus (4) thesaurum illum pretiosissimum in aram principem solemni in-

A. C. 1660

A. C. 1662

(1) Ex vita Ms.
(2) Ex decr. s. Congr. EE. et RR.
(3) Ex actis Nicolai Florelli.
(4) Ex rogitibus Saccarellii 1663.

tulit pompa. Urbanis muneribus peractis, Hungariae, et Transilvaniae rebus Thomas fuit praepositus. Inopinato morbo occubuit, quum omnia summa ab ejus visitatione Apostolica expectarentur. Sacrarum literarum, et juris scientia clarus scripsit compendium in libros poenalium a Sanctorio Melphitano editos. (1)

Saeculo XVI. ad occasum agente (2), suae opinionem virtutis inter cives promoverat Frater Hieronymus ex Cappuccinorum familia. Evangelii praeconio, et vitae exemplo quasdam foeminas ad benevivendum hortatus ipse fuerat. Et revera ad caelestium rerum amorem excitatae brevi induerant Cappuccinarum habitum, et regulam divae Clarae erant amplexae in domo s. Mariae Magdalenae (3) publico aere excitata (4). Et quamvis in id opus (5) pecuniam impensius ministrassent nostri; tamen hujusmodi mulierum secessus anno 1693 omni-

A. C. 1693

(1) Vide Cornelium magnum in opere — *Il più curioso, e vago della Turchia* — Parmae 1704.

(2) Anno 1593. ex Cancellotto — Ist. Settemp. Ms.

(3) Ex libris Refor. 1582. 1593.

(4) Anno 1612. Ex Cancellotto loc. cit.

(5) Anno 1645. die 3. junii *Soror Anna Vitalis de Sanctoseverino* degebat *in pia domo Cappuccinarum s. Mariae Magdalenae.* Ex rogitibus Jacobi Massi.

Digitized by Google

no occubuerat. Scimus enim, die IX. novembris ejusdem anni Joannem Baptistam Benium archidiaconum Ecclesiae nostrae aedem posuisse in tutela pientissimi instituti Puellarum Convictricium Pueri Jesu, quod Romae anno 1671 erat inceptum, et apud Spoletanos et Tiphernates tantum inductum. Sacram Nigrellii Episcopi vicem ipse gerens (1) statim recepit in domum Lauram Falischiam, et Mariam Theresiam de Marchis, quae ex urbe a Cosimo Berlinsano missae Convictricium munus primitus exercuere. Placuit Episcopis leges communi omnium consensu rogatas sancire, et Alphonso Servantio (2) illustria liberalitatis monumenta relinquere. Mox eisdem rebus in discrimen adductis percommode adfuit (3) Gaspar Servantius eques militiae Etruscae Stephanianae, cujus fama Picentum aures complevit, et trans Alpes pervagavit. Et nihil quidem civibus fere gravius posset accidere, quam si contingeret, Virgines pientissimas ab eo, in quo nunc sunt, statu et temperatione divelli, et prorui.

(1) Ex tab. episc.

(2) Ex actis Angeli Gabrielis Cherubini 1779.

(3) Ibi 1783.

Nunc ad Conventualium dignitatem magnopere pertinere existimo, ut aliquid a me habeat Frater Severinus Puccitellus. Ex nobili gente in civitate nostra ortus, et in Ordinem admissus post prima literarum rudimenta, tantum vitae probitate, et scientiarum studio profecit, ut vir doctus evaderet. Lauream magisterii consecutus, et praeclaris muneribus perfunctus est. Coenobio nostro praepositus quamplura a fundamentis construxit, et rebus humanis excessit omnium elogio honestatus. (1) Nec sacrae Conventualium aedis ornandae occasionem praetermisit Fulvius ille, qui ex gente Servantia natus, et cum Flavio Chisio Cardinale ad Gallorum regem missus, ac inter Antistites urbanos a Clemente X. adlectus, exceptus fuerat humanissime a regina Svecorum Christina, quae, florentibus annis abdicato regno, rejectaque Bruxellis haeresi, Romam venerat, ut in sede Orthodoxae religionis domicilium sibi perpetuum collocaret. Fulvius igitur sacellum Nativitatis refecit, et picturis (2) ornavit, Equite Troppa magistro.

---

(1) Ex Talpa:

(2) Lantius-*Ist. pitt.* De Fulvio Servantio scripserunt Gatticus, Festinius, aliique.

Interea in sacra Gratiarum aede Frater Vitus e Montesanctovito illud tam pium *strictioris recessus* opus non verbis, sed re suscepit, perfecitque. Et sane egit ipse primum Deo gratias, qui sibi in terris dedisset, ut virum, in tanto gerendarum rerum initio, ad eam austeriorem vitae rationem ingrediendam tam alacrem, tam secum conjunctum et consociatum aspiceret, Pacificum Divinium civem nostrum, fulgentissimum totius Ecclesiae sidus, qui occubuit anno 1721 die 24 septembris, quemque Pius VI. retulit in Beatos. Faxit Deus, ut ejus Canonizatio in aede sacra Principis Apostolorum quantocius a Gregorio XVI. Pontifice vere Maximo peragatur! Curas in ejus res gestas protulerunt Pieragostinus, Vignolus, Prosperus, Ranghiascius, Antistites nostri, aeque ac Vivianus Episcopus Camers, et Stellutus Maceratensium Praesul. Multa cives decreverunt in eum (1). Fratris Felicis de Catembinis opinio Pacifico probata prae caeteris fuit. Is enim ejusdem sanctissimi viri accitu ad Or-

A. C. 1721

(1) Lubenti animo hic dabo inscriptionem, quam dictavit Cajetanus De-Minicis, in adversaria, tanquam gemmulas in scrinia literaria, referendam.

dinem evocatus magnam vitae exemplo gloriam sibi peperit, beneque gerendarum Beatificationis rerum peritia excelluit. In Divae Mariae Gratiarum senio confectus oppetiit, adhuc suarum laudum materiem civibus suggerens.

Hoc tempore Moniales s. Clarae paterno studio prosequebantur Fratres Reformati. Sed sui muneris partes ea in re longius praestare haud ipsi poterant, neque efficere, quae sibi agenda esse videbantur. Quare primaevis

---

IV. kalend. Februar. An. MDCCCXXXIII
Ex . Decreto . Decurionum
Omnibus . Sententls
Auctorante A. D. Gamberinio . Card. . A . Negot . Publ.
Statutum
Uti . in . Cella. Quo . Corpus . Servatur
B. Pacifici. Sodal. Francisc. Reformat.
Concivis . nostri
Lychnus . Perpetuo . Lucescat
Utiq . V . Id . Decembr . An . MDCCCXXXV.
Ad . Caelestis . Patroni . Innumeris . Miraculis
Eximlsque . Beneficls . Clari . Tutelam . Impetrandam
Sancitum
Titulum . Heic . Adscribi
Quoius . Rei . Ne . Intercidat . Memoria
Praepositus . Atque . VIIIviri . Municip. Administr.
Pon. Cur. Anno. MDCCCXXXVI.

Digitized by Google

juribus ii missum fecere, et, qui Romae erant in sacra consilia Coenobitarum negotiis componendis adsciti, anno 1738 die 5 Decembris omnimode Episcopi jurisdictioni Clarissarum coetum subjecerunt. Hac etiam de re Pieragostinum Antistitem certiorem fieri suis cum literis latis anno 1740 oportere statuit Clemens XII. (1) Et hic satis commemorare non possum, quantum eidem Episcopo voluptatis hoc tempore Frater Laurentius Ganganellus, mox Clemens XIV., attulisset. Ipse tunc degens in Conventualium coenobio ob ipsius Praesulis oculos amantissime versabatur, et curam sacris in rebus tradendis perquam utilem exercebat.

A. C. 1738

A. C. 1740

His tot tantisque de rebus gratissima civibus semper fuit Franciscalium societas; et longum de ea sermonem, et plenum laetitiae habuerunt Episcopi. Quae cum omnibus adhuc sint perjucunda; confido, non defuturas civibus occasiones ornandi eam: nec vereor, quin in Magnae Gratiarum Parentis recessum liberalitas grata omnibus, probataque sit futura. Frater Antonius e Pitino, incredibilis mode-

---

(1) Ex pluteis Curiae Episcopalis.

Digitized by Google

stiae vir, nulla prorsus mundi cupiditate ac- A. C. census, imo in perpetua simplicissimi animi 1833 tranquillitate conquiescens, anno 1833 die 10 Martii, et aetatis suae LXXXVI. inibi de vita migravit. Jacobus Ranghiascius Episcopus de illius virtutibus ac meritis retulit justa.

A. C. 1835 Ex literarum exemplo, quas Decurionibus nostris anno 1835 die 8 Augusti Gregorius XVI. P. M. dedit, ea sane intelleximus, quae ad illos scripsit de via ab urbe ad sacram Gratiarum aedem sternenda. Voluit, ut omni studio rem Decuriones apud cives juvarent, nihil omnino praetermitterent, quod ad opus inchoandum esse usui et adjumento posset, nullaque eos in re existimarent aeque gratum Pacifico Caeliti Beato facere posse, quam si hoc in negotio id, quod pientissime edicebat, perfecissent. Ad haec accesserunt perpetua Ranghiasci Episcopi idem exoptantis vota. Ipse ad Decuriones diligenter scriptas literas dedit, eosque hortari voluit, ut civibus ii quoque in eam sententiam scriberent. Id ut brevi conficiant, ab eis etiam atque etiam peto multis nominibus. Vix enim possum dicere, quam hoc ipso loco majores nostri essent delectati. Accursus et nunc fit in illas arborum umbras, quas

Conferentium sodales, plaudentibus musis, quotannis invisebant, quaeque multum decoris adhuc retinent, multumque venustatis. Nec me piget hic ternas inscriptiones subjicere, quas jussu Decurionum dictavi. En verba

In fronte

EX · AUCTORITATE
GREGORII · XVI. P. M.
CLIVUM
IN · VIAM · FACILIOREM
REDIGENDUM
CURAVIT
POPULUS · SEPTEMPEDANUS
CIVES·HOSPITES·VE HUC·AGITE·FREQUENTES
CELEBRATURI
PACIFICUM · CAELITEM · BEATUM

In sinistro

QUICUMQUE · ES
QUI · IN · LUCUM · VENISTI
LOCI · RELIGIONEM · SERVATO
SAECULO · XVI.
QUI · SODALES · QUI . CONSCRIPTI · ERANT
IN · CURIA · LITERARIA · CONFERENTIUM
HUC
QUOTANNIS · ADESSE · JUBEBANTUR
EX · S. C.

In . dextro

D. O. M.
SACRUM
PRAEFECTUS · ET · $\overline{\text{VIII}}$VIRI
REI · PUBLICAE · CONSERVANDAE
POSUERUNT
ANNO · $\overline{\text{MDCCCXXXVI}}$I.

Digitized by Google

VI.

De Augustinianorum Societate

Augustinianorum res in Ecclesia nostra diu aliquem efflagitare visa est, qui memoriam nobilitatis suae illustraret. Eorum igitur gesta, quae pene obliterata erant, e neglectae antiquitatis squalore erecta in unum per me coalescunt, aliqua etiam luce donata. Et confido, fore, ut commentarius iste, nullo licet perfectus ingenio, nulla elaboratus industria, Augustinianorum Ecclesiae nostrae ornandae juvandaeque studium posteritati commendet.

Explorata omnino res est, Eremitas s. Augustini, qui per Italiam, et Etruriam praesertim, dispersi anachoreticam vitam impigre excolebant, longe (1) ante annum 1226 Septempedanorum agrum fuisse ingressos. Et

A. C. 1226

---

(1) Torellius *Secoli Agostiniani Vol.* 4. — Legimus anno 1247., Innocentium IV. curam suscepisse, ut Eremitarum domus intra oppidum nostrum perficeretur, quod mihi prae reliquis in causa est, cur illum de civibus optime merentem appellem — *Torellius Vol.* 4.

sane Augustinianorum eremos haud frustra perquisivimus supra montes, qua viae Labienae nunc transitus est juxta castrum Serraltae. Eorum sacella divo Apollinari (1), et divo Stephano antiquitus fuisse dicata, monumenta passim evincunt. Imo eisdem sacris in aedibus usque ad saeculum XV. Augustinianos animarum procurationem retinuisse, constat. Nec tacitus praeterire queo, prope aediculam Stephanianam statuam lapideam fuisse inventam, quae ex veste in lacinias disposita satis praesefert vetustatis (2) indicium. Vir, forsan monachus, in illa sedens exhibetur: laeva volumen tenet, ea ratione, opinor, ut illud populo monstrare videatur, quasi communicans cum illo, quae ipse exaraverat. Nihil distorti, minusque apti in ejus actione, collocationeque corporis partium apparet. Imo dex-

---

(1) *F. Christophorus Francischi rector ecclesiae s. Apollinaris Serraltae* — Ex rogit. Cambiucci 1456— *Parochiani Ecclesiae s. Stephani de Serralta cum consensu Christophori Francischi de Ferraria tamquam officiatoris novi Fratris Stephanelli Dominici Ordinis s. Augustini rectoris dictae ecclesiae s. Stephani ordinaverunt sindacos ad exigendum* — Ex rogit. ejusdem Notarii 1457.

(2) Prostat in aedibus Severini Servantii Collii comitis.

tera, licet detruncata, adhuc significat, ad confertam multitudinem eum aliquid habiturum.

Postquam Alexander IV. a Germanorum negotiis tantisper fuit vacuus, et totum Augustinianorum coetum, relicta eremo, urbes tantum incolere sapienter coegit; ipsi in oppido nostro alia sane multa egerunt, quibus et nunc praecipuum urbis ornamentum continetur. Vetustissimam divae Mariae Magdalenae aedem brevi ipsi instaurarunt, continentia aedificia a solo erexere, eaque porticu exornarunt. Nec silentio praetereundum, Virgines quamplures, sub divi Augustini regula Deo militantes, domum a fundamentis sibi excitasse in loco, qui dicitur *de Submonte*, ibique sanctitatem religionis usque ad saeculum XV. excoluisse. Alio vidimus, ab Alexandro IV. luculentissimis privilegiis eas fuisse honestatas, et earum dignitati Urbanum IV. consuluisse anno 1261. (1)

A. C. 1261

Interim in oppido vitam fuit ingressa B. Marsilia Pupellia. Vulgari temporum perversitate minime labefactata pientissimo Augusti-

(1) Consule chronotaxim Arabonensem, et Franciscanam.

nianarum instituto adhaesit, quando Pontifices Romani signatos conscribebant milites, quos Manfredianis grassatoribus opponerent, et cives ab eorum tyrannide minime se erigere poterant, licet armato foedere cum Mathilicensibus (1) juncti. Mira quadam ingenii simplicitate ipsa insignis, perspicuo animi candore illustris, et incredibili Christi amore succensa beatissimo exitu anno 1298 ad superos evolavit, miraculis in vita, et post mortem gloriosa. Concordi luctu ad Augustinianorum templum delatam publici cultus significatione fuerunt cives prosequuti, modo in ara s. Mariae Magdalenae, modo in ea B. Ritae: nunc sacra ejus lypsana, ad *Servantiam* aediculam illata, solemniter quotannis feria tertia in Paschate Resurrectionis ostenduntur. Eadem Eremitarum (2) monumenta apud Urbinates testantur, ejus reliquiis honorem habitum fuis-

A. C. 1298

(1) Anno 1258. die 26. Junii foedus percussum fuit inter cives nostros, et Mathilicenses hac inter alias conditione, ut Mathilicenses solverent nostris quotannis in die festo s. Severini Episcopi et Patroni *XXV. libras Ravennae*. Abrogatum fuit anno 1271. die 20. Septembris.

(2) Cancellottus *in vita s. Severini*.

Digitized by Google

se praecipuum. Neque ullum vitae tempus et cives nostri praeterire passi sunt, quo Marsiliae aliquid non regustarent (1) identidem. Scriptores nonnulla de Marsilia retulerunt, et acerrima fuit aevo nostro Joannis Silvagni equitis clarissimi virtus in pingenda ejus effigie. Ita lucide, molliterque omnia expressit, ut limatius quid accuratiusque videatur non posse afferri! (2)

A. C. 1301

Subit annus 1301, in quo Carolus Andegavensis Gallorum copiis instructus in Italiam venit, ut Calabriam, Campaniam, Æmiliam, Picenum, atque Etruriam, intestinis odiis laborantes, pacaret. Sed nulla vi Romani Pontifices potuerant perficere, ut a civili bello Flo-

(1) Anno 1497. die 22. Aprilis *Domina Blona reliquit Cappellae B. Marsiliae florenum unum dispensandum per mulieres Societatis s. Monicae* — Ex testamen. Bernardini Ciccolini — Anno 1507. die 3. Decembris *Dominica uxor Petri Joannis Cortesii reliquit florenos L. pro officio quolibet anno celebrando in cappella B. Marsiliae* — Ex testam. Bernardini Ciccolini — Anno 1609. die 17. Augusti *Lucas Antonius Pupelli voluit in perpetuum celebrari missas sex in altare B. Marsiliae* — Ex testam. Eugenii Lauri —

(2) Tiberino-anno IV. num. 36.

rentini praesertim revocarentur. Ad maximam ideo vastitatem redacta erat Italia; urbibus quamplurimis sacrorum usus fuerat ademptus, et a Clemente V. Romana ipsa Sedes in Galliam translata. Dum haec miserrime agebantur; obiit Tolentini Divus Nicolaus, ex Eremitarum instituto, vir summus, et cujus sanctimoniam testatus fuit Deus miraculis a morte statim editis magno numero. Et aevo tam infesto lubenti animo haec scribo; sunt enim Natumbenio civi nostro perhonorifica. Natus ipse erat a gente, cui publici muneris procurationem saepius a civibus nostris demandatam legimus. A florente aetate in Augustinianorum coetum adscriptus ipse fuerat, et ei sane contigerat peroportune in Tolentini coenobio vitam agere. Ibi familiariter Nicolai humanitate erat usus; eum privatus sibi conciliaverat, et postea coenobii praefectus arctissime constrinxerat. Quare, ubi hanc vitae jucunditatem morbus corrupit, et Nicolai vires tandem fregit, atque ubi summum catholici orbis imperium Joanni XXII. fuit concreditum, Natumbenius anno 1326 ab eodem Pontifice Abellini Episcopus fuit conclamatus, et septennio post ad Tridentinam Ecclesiam translatus. De eo To-

A. C. 1326

rellius, cui patria tamen fuit incognita, Gandolphus, et Moralia. (1)

Nullum exinde bellum atrocius ac diuturnius Italiam exercuit, postquam arma Germanorum sensit. Gestum fuit viribus utrinque summis, cladibus omni aevo etiam inter nos memorandis. Scaligeri, Vicecomites, Atestini, Gonzagae, ac Florentinorum dynastae a Pontifice recedentes auctores erant Picentibus, ut Romanae Ecclesiae jugum excuterent, utque de Sacerdotio victo triumphum, aut palmam peterent. Quid tot tantisque de rebus inter cives Eremitani senserint, quidve statuerint, non constat. Ex iis vero, quae postea sequuta sunt, conjicere omnino possumus, ex pristina dignitate eos minime decidisse. Nondum enim Eugenius IV. Basileense Concilium Ferrariam transtulerat, et ipsi in templi amplificationem (2) jam incumbebant. Tum fuit in eos Bartholomaeus Tardolus perquam sane officiosus. Ortum ipse duxerat in oppido nostro, et Bononiam primum, mox Romam mis-

(1) Torellius tom. V. — Moralia *comp. della vita di s. Niccola. Fermo* 1818.

(2) Ex lib. reform. ann. 1449.

sus sedulam literariae reipublicae operam navaverat. Ritu solemni laurea donatus, et dictus (1) Firmi, Tolentini, Asculi, Parmae, Fani, et Fulginei praefectus, officium a nemine suum desiderari passus erat. Ingruentibus Marchiae Anconitanae periculis, et cohortibus Michaelis Pedemontani, Sfortianorum Ducis, patriae ditionem occupantibus, magisterium urbanum gesserat animo nunquam infracto. Hinc, acerbitate temporum ingravescente, extorris aerumnas, rapinas, vincula Anconae pertulerat fortiter. Ex arce Asculana, (2) civibus exorantibus, egressus, et a Francisco Sfortia summo in honore habitus, Marchiae Anconitanae (3) praefecturam gesserat, amplissimis muneribus deinde Mediolani honestatus. Extincto perduellium dominatu, et frustra Nicolao Roberti Smedutii obnitente in paternorum jurium, et Schitiani propugnaculi potestatem remitti a Lotto Episcopo Spoletino, et Comite Othone e Mathi-

---

(1) Coluccius *antic. Pic.*, Santinius, Talpa, Jacobillius, Gentilius, Grassius — Lib. Cons. ann. 1439.

(2) Ex lib. Decr. anno 1437.

(3) Coluccius ex schedis *Boccolini* tom. XI.

lica (1), Tardolus in Pontificis fidem fuerat (2) receptus. Romam ad Nicolaum V. legatus (3), rem publicam juverat studio prudentiae, et apud omnes auctiorem nominis famam promeruerat, ex quo praesertim Jacobi Piccinini populares motus compescuit, et quidquid periculi (4) amovit. Neque, tot tantisque rebus usque ad longaevam senectutem distentus, unquam sane Bartholomaeus commiserat, ut aliqua a se liberalitatis significatio ab Eremitanis nostris desideraretur: qua in re cum excellere quisque possit, quantum vult, voluit ille in sacrae Augustinianorum aedis instauratione, quam qui maxime; uti publica (5) monumenta testantur. Et non sine plurimis rationibus, id factum esse, opinatnur.

Florebat eo tempore Franciscus Cancel-

---

(1) Confer capitul. inter Lottum, et Comitem Othonem 6. Septembris 1443. —

(2) Ex actis foeder. in statuto Com. nostrae.

(3) Ex lib. cons. anno 1447.

(4) Ibi sub anno 1455.

(5) BARTHOLOMÆUS TARDOLUS JURIS UTRIUSQUE DOCTOR PRIORE FRE ✠ A. D. MCCCC. LXXIII. *Prostat in templo principe s. Augustini.*

lottus, qui, (1) inter Augustinianos adlectus, Bononiae, ac Patavii varia munera, probantibus omnibus, adimpleverat. Acceptissimus ipse erat Fratri Simoni e Camerino, viro ad optima studia mirifice instituto, et foedere (2) inter

A. C. 1454

Venetos, et Sfortianos percusso jam tum commendato. Pari in honore (3) a Carolo Archiepiscopo Mediolanensi habitus, et Theologi munere auctus, ea in aula enitebat gravitate, solertia, studio bene de omnibus merendi. Adsertor ubique coenobiticae professionis, fideique in Pontificem Romanum immobilis, Au-

A. C. 1455

gustinianorum expectationem sustinuit, explevitque, praepositus in provincia (4) apud Genesinos appellatus. Ab eo aditu laudis ubi ipse recessit, theologiae tradendae munus Patavii supra laudem aggressus est.

Dum haec a Francisco agebantur, maximas sane curas suscipiebat Angelus, alterum Au-

(1) Ex mss. antiquissimo penes I. Ranaldium.

(2) Torellius-*Vite*.

(3) Fulvius Fontana — *Origine della s. Milizia di santo Stefano* — in epistola ad Angelum Cancellottum Equitem.

(4) Ex mss. cit.

Google

gustinianorum et patriae lumen, ut absolutus Dei verbi evaderet praeco. Intimae theologiae succo vigebat ejus oratio, quae praeterea disciplinarum omnium varietate efflorescebat. Ipse acute definitiones rerum deprehendere, accurate eorum temporum opiniones indicare, rem acu attingere solebat, sollicitus auceps formulae, quae ad scientiam pertineret. Pollebat voce plena et canora, eaque lateris firmitate, ut, aut exultans audacius, aut insurgens acrius, continendo spiritum diutius, et in longum tractum concitatiores figuras producendo, peragraret terrore per animos auditorum, illosque praepotens permisceret. Literatorum idcirco, et Principum gratia fulgebat. Sed propter teterrimos belli tumultus, quibus Italia perturbabatur, Utinam sese ipse receperat, et peroptata ejus eloquentia in Divae Luciae noluerat carere Helena Utinensis (1). Et sane plurima praeclara ab illo die fausto, ac perbeato a Deo in Angelum nostrum, vitae sanctimonia clarissimum, beneficia sunt profecta. Nam ipse Augustinianarum veste statim Helenam induit, quae dilecta Deo et hominibus mortem vitae

(1) Torellius vol. VII.

pientissimae consentaneam obivit, in Beatarum album relata (1).

Quae, sedente Eugenio IV., excitatae sunt in oppido turbae gravissimae, haud levem gymnasio nostro perniciem intulissent, nisi magni consilii cives (2) inter graviora reipublicae negotia illius incolumitati et incremento consuluissent. Ipsi enim bonis artibus in oppido alendis parandisque studuerunt, quarum doctores aevo, quo scribimus, erant Britius Minicutii (3) e Serralta, et Dominicus (4) Augustinianorum sodalis, et vir noster. Hos legimus, non sine ingenii ac eruditionis laude, amoeniores et graviores literas fuisse professos. Nec silentio praeteribo, anno 1477 die 9 Junii a *Magistro Generali Ere-*

A. C. 1465

A. C. 1477

(1) Herrera-*Alfab. Agost.*, Torellius-*Vite*, Bollandiani vol. III.

(2) Decuriones nostri anno 1453. legem tulere de nonnullis juvenibus *in collegia* mittendis, ut aere publico alii, atque educati bonarum artium disciplinas in eis docerentur. *Ex lib. reform.* — Inter caetera pia loca, quae in pauperum auxilium, saeculo XV. ineunte, apud nostros instituta sunt, *Mons Pietatis* principem locum obtinuit anno 1469 — *Ex lib. refor.* —

(3) Coluccius-*antic. Pic.*

(4) Ex lib. refor. pag. 844. 845.

mitarum Ordinis S. Augustini Cappellanum Ecclesiae S. Lazari dictum fuisse *Moricutium Uliverium* principis templi nostri *Canonicum*, tum quod hominem *Magister* ipse noverat, tum quod id *Sacerdotii* praecipue *Innocentius Erica Praepositus Fanensis* antea sine laude (1) exercuerat. Dedi hoc veritati: nam pagellas solecismo inquinare, contra emendatam monumentorum dictionem pingues errores et pronunciare et scribere, fuit quandoque in honore. Et haec eo consilio perstrinxi, ut compertum sit civibus, quomodo ab ipsis *Equitum S. Lazari* historia in laudata *Eremitarum Ecclesia* (2) castigari debeat. Nullus inter nostros *Eques*, vel *miles* huic Ordini mancipatus emergit ex scheda, ad quam confugit Auctor *antiquitatum Septempedanorum*, mendosam elocutionem effingens.

Haud multo post cives Marchesinam Lutiam concordi luctu amissam plorarunt, quam uno animo viventem coluerant. Ortu Septempedana ipsa fuit. Patrem habuit Silvestrum

(1) Ex rogit. Ser Nicolai Ludovici 9. Junii 1477. relat. a B. Gentilio-Rovellono.

(2) Confer eumdem Gentilium — *Antichità di Settempeda pag.* 78.

Lutium, cujus majores in oppidum nostrum cum familia a Visso demigraverant. Statim Lutiorum cognomen civium sermone percrebuit. Et multa sane gesserunt Lambertinus, Andreas, atque Antonius in publici muneris procurationem adsciti. Honorifica legatione ad sacri fisci Quaestorem Stephanus missus, res magni momenti cum eo in consilio habuit; et omnia Thomas, ac Gaspar cum laude confecit difficillimis patriae temporibus. Sed vere illud utique dici potest, Marchesinam eorum gloriam vicisse; eo quia apud Augustinianas perfectissimum sanctimoniae genus invenit, inventumque mirifice fuit prosequuta. Et quidem constanter id egit, constanterque idem civibus inculcavit; quin imo sanctitatem ipsam eis reddidit splendidiorem. Ob haec nostri non dubitarunt eam Beatae titulo honestare, ex quo ejus vitae innocentissimae cursum immaniter abrupit Mareottus, alter Silvestri filius. Ita, priori Lutiorum cognomine quasi e vetere possessione detruso, unum ipsum (1) *Mareottum* usurpatum est a

(1) Herrera ait — *Corpus B. Marchesinae de Mareottis a Visso S. Sev.* — Torellius in Cent. V. cap. 77.

nonnullis. Sunt, qui tradunt (1), id anno 1498 evenisse; sed nos germana monumenta volventes, sanctum habemus atque inviolatum (2) annum 1510. Aram in ejus honorem majores nostri in Eremitarum templo excitarunt, ejusque cultum ratum habuit anno 1586. Spiritus Vicentinus (3) moderator Ordinis s. Augustini. Ipse urnam, in qua sacra Marchesinae exhibebantur lipsana, instaurari edixit. Nec sane ulla in posteris aetas Bernardinum Lutium ex Marchionibus Votalarcae conticescet. Is, praefecturam annonae urbis sustinens, Marchesinam pietate sibi, suisque devinxit. Voluit enim, ut in sacra Augustini aede cives, hospitesve tabulam inspicerent, quam Philippus Bigiolius, vir noster, (4) mirifice pinxit, et de qua intelligo, judicium fore meum civibus supervacaneum, cum existimatores bene intelligentes exposuerint, quid ipsi et caeteri universe de ea judicaverint. Sed referam, quae de ipsamet tabula ab italico carmine accepi per Anastasium

A. C. 1510

(1) Cancellottus *in vita S. Severini, lib. IV.*

(2) Ex actis.

(3) Herrera, et Torellius loco cit.

(4) *Tiberino* 1836.

Tacchium Canonicum nitide claborato, quod iterum typis committo in gratiam studiosorum poeticae facultatis (1). De Marchesina Torel-

(1) A Bernardino de' Marchesi Luzj — Della Basilica Liberiana — Canonico — Della cosa annonaria — Preside Amplissimo — Che delle arti belle amante e proteggitore — A proprio decoro e della patria — All' avita cappella — Nel maggior tempio in Sanseverino — Donò un dipinto — Maestrevolmente ideato ed eseguito — Dal valente concittadino — Filippo Bigioli — Questi poetici sensi — Dalla magnanima offerta inspirati — Il Canonico Anastasio Tacchi — Ossequioso D. — Qual s' offre ai lumi attoniti — Lavor d'arte apellea? — Leviam carme festevole: — Nella palestra elea — Premio a valor sovrano — Echeggiar gl' inni del Cantor Tebano. — Prona e le palme supplice — Ravvolta in bruno velo — E co' bei sguardi cupidi — Fisa ridente al Cielo. — Qual mai Donna immortale — Informasti, o Filippo, ai Numi uguale? — Tutta nel viso angelico — La schietta alma traluce: — È forse Estèr, che l'ansie — Destò nel Perso Duce? — È Ruth? ovver l' eletta — Sovra le mille a Salomon diletta? — Ma l'alta sua propagine, — In Dio l'ascosa vita — Ben di veglianti genii — Leggiadra coppia addita: — O mio pensier t' arresta: — Onor de' Luzj; Marchesina è questa. — Delle prudenti Vergini — O del bel numer'una, — Che calcasti magnanima — Le pompe e la fortuna, — Salve! l' Eroe d' Ippona — Ne' suoi fasti per Te più grande suona. — Mitrato in aurea clamide — Ve' come siede e guata! — Ei nel sembiante è l' Aquila — Che su i vanni librata — Va rapida per l' etra, — Squarcia le nubi, e fino al Sol penetra. — Monica è là ch'estatica — Le man conserte al petto — Tacendo sclama, o gaudio! — O Figliuol

lius, Elsius, Cancellottus, Herrera, Marconius, Turchius, Talpa, aliique (1).

---

mio diletto! — Non della madre al pianto, — A Te solo, o Maria, debbesi il vanto. — Reina Ella de' secoli — Qui dignitosa appare — Siccome allor che i termini — Circoscrivea del mare, — E passeggiò il creato — Per gli ampli giri dell'Eterno a lato. — E del suo cuor delizia — Delle convalli il giglio, — Biondo e le man tornatili — Fra le sue braccia il Figlio — Qui movesi, e festeggia, — E 'l bel cinto di Lei svolge, e vagheggia. — Ah squarcia, amabil Pargolo, — Il nembò atro di guerra, — Fa di quel cinto un' iride — Su la dolente terra, — I morbi rei conquidi, — D'Europa ai fati, alla tua Ausonia arridi. — La prisca fè, di gloria — I chiari di vetusti — Riedano, e a' miti studii — Nuovi Pericli e Augusti: — Nuovi l'Arti sorelle — Abbian Pindari, e Fidia e Zeusi e Apelle. — O Mecenate egregio — Al tuo gentil pensiero — Genio rispose italico; — Per nobile sentiero — D' ambito onore in cima — Vè come il suo valor spiega e sublima! — Ei de' color le grazie — Tolse al Pittor d' Urbino; — I forti tratti additano — Michele Angiol divino; — Il ben concetto insieme — D' Aristarchi accigliati arco non teme. — Chè il regal Tebro, u'stabile — Han l'Arti Belle il nido, — Filippo, a' tuoi gran meriti — Levò d' onore il grido: — Ed or con alta laude — A Te la patria e al Mecenate applaude. — A che di Marte i lauri — Vanta l' età superba? — Tebe per lui, Cartagine — Vestigio oggi non serba: — Nobile è quella fronda -- Cui verace virtù merca e feconda.

(1) De Marchesina scripserunt-Torellius *loco cit.*, Elsius *encom. Agost. Lett. M.*, Cancellottus *loco cit.*, Herrera, Marconius *Alphab. SS.*, *et BB.* — *Æsii* 1624 —, Talpa, Turchius *Cam. sac.*

Ubi Joannes Mediceus, fausto literarum plausu, Leo X. fuit dictus; Pompilius Vicolus Caccialupus, homo noster, Romam adiit. Ab Augustino Suessano philosophiam, a Hieronymo Butigella juris scientiam hausit. Vatis non incelebris titulo auctus, et Eques ac Comes Palatinus a Pontifice renunciatus, ampla consequutus fuit munera. Ad omnes urbanitates et veneres suo veluti genio ductus, charissimum Romae habuit fratrem Matthaeum civem nostrum. Is variis virtutibus tum in alma urbe enitebat inter Augustinianos adlectus. Osor desidiae, domitor cupiditatum, summa Deum religione colebat, et in hominum moribus conformandis diuturnam operam et utilem posuerat, (1) in sacra vaticana aede noxarum expiator dictus. At quia, Leone extincto, urbs fuit saevissime direpta, et, rebus publicis turbatis quam maxime, siluerunt aliquando et literae; Pompilius Augustinianorum bono domum repetiit. Ii in votis tunc habebant nobile templum divi Augustini perficere, atque exornare. Ne eorum studia ob temporum calamitatem irrita omnino caderent; Eremitanis

(1) Torellius *loco cit. vol. VII.*

benigne fecit Pompilius, et post mortem scripto consuluit, fructibus in eorum subsidium perpetuo legatis, Petri Simonis patris famam (1) et exemplum aemulatus. Scriptor Pompilius fuit limatus et venustus, auctorque plurimis, ut saperent et scriberent recte (2).

Eodem ingenio inter Eremitanos mox floruit Augustinus Cancellottus. Studiis, literisque deditus multa ad eruditionem fovendam egit. Eum sacris negociis praefecit Marcus Antonius Columna Cardinalis, qui a Sixto V., quas vocant Scoti formalitates, audiverat (3). A. C. 1575

---

(1) Petrus Simon Caccialupus fisci partes a Curia generali Maceratensi sibi delatas magna cum nominis commendatione sustinuit: et communis opinio fuit, eum jurisprudentiae palmam nemini apud Picentes concessisse. Civibus fuit ereptus anno 1528. die 10. Octobris. Scripsit volumen *Consiliorum*.

(2) Pompilius Vicolus Caccialupus multa ingenii sui lineamenta civibus spectanda praebuit in poemate, quod inscripsit — *De bello Septempedano* — Lusit varia *epigrammata*. Gesta *SS. Severini*, *et Victorini*, *ac B. Margaritae* posteris legenda reliquit. Obiit anno 1543. die 1. Septembris. De eo Lancellottus, Joannes Marangonius, et Antonius e Roccacontrada. Vide etiam elogium historicum Bartholomaei Eustachii, et Eustachii Divinii a me italico sermone scriptum, atque editum *Maceratae* 1837.

(3) Confer Ciaconium-*Vitae Rom. Pont.*

Augustini gloria ad ingenuas artes capessendas inflammavit Prosperum Benium ortum ex gente inter nos satis illustri. Scientiae, fidei, et religionis ornamentis insignem Augustinianorum coenobia plura eum moderatorem adsciverant. Anno 1588. Montisfortini praefecturam assecutus, talem ea in sede, multis privilegiorum generibus a Friderico III. Imperatore exornata, qualem se promiserat, gessit. Ab eo Ganimedes Pamphilus fuit illuc accersitus, et corona poetica publice ex more temporum donatus. Firmanorum, et Cortonensium Academiis nomen suum dederat Pamphilus (1), et in sacro Tridentino conventu literatus quisque eum duxerat magni.

A. C. 1588

Mox inter cives effulsit Vincentius Barbetta, qui (2) *in lamentationem sanctae Mariae Magdalenae* musice scripsit, nostroque Eremitarum coenobio praefuit. Laurea ipse insignitus theologiam inter Augustinianos non obscuris ingenii, et doctrinae notis interpretatus est, collegam nactus Gregorium Petro-

C. A. 1601

(1) Ex diplomate penes Ranaldium.

(2) Ex reg. Ordinis Erem. — Consule Herreram, et Elsium.

chinum, postea Cardinalem Montelparum vocitatum. Ab omnibus honorifice cultus quietem propositis praemiis antetulit, felicius sibi fore ratus estremum halitum inter civium amplexus domi, quam foris emittere, quod ei contigisse fertur anno 1638.

Battignani in ditione Senensium omnium lacrymis honestatus anno 1621 die 14 Augusti adquievit B. Joannes dictus de s. Guilelmo propter vitam, quam per vigintiquinque annos inibi (1) duxit. Quid in hoc viro primum ego laudem, quid tu, lector, potissimum admireris, nescio: adeo doctrina cum summo animi candore in eo certavit, ut divinitatis specimen quoddam videretur emicuisse. Primum Etruscas, ac Latinas adamavit literas: pari dein affectu Firmi, Venetiis, Patavii philosophicas, ac theologicas disciplinas secutus est: postremo eloquentiae ita se addixit, in eaque tantum profecit, ut Romanis, Genuensibus, Florentinis, Senensibus, aliisque superni aevi beatitatem insigni oratione suaserit, et pro Deo multoties coram Lucensibus verba faciens auditores ab ore pendentes in admirationem traxe-

A. C. 1621

(1) Marconius *loco cit.*

rit. A Discalceatorum sancti Augustini sodalibus insignia ipse retulerat, nimiae paupertatis amator. Varia scripsit, quae a Collectoribus bibliothecae Picenae (1) recensentur. Ortum ipse habuit ex honesta Cicconiorum familia, quae inter nos, teste Arsenio ab Ascensione, viguit; mox in oppidum Montiscassiani se recepit, ubi Joannes natus fuit anno 1555 die 15 Julii. Vir totus divinis contemplationibus, et incredibili sanctimonia praeditus, titulo Venerabilis exornatus extitit (2).

Quanta deinceps fuerit Nicolai Servantii virtus, vel hinc advertat quisque, peto. Filius Clearci, qui in Hungaria feliciter militavit, quique primus inter suos a Clemente VIII. Comitis insignia promeruit, adolescens apud patrios lares egregiam operam literis navavit. In Lectorum album inter Augustinianos adscriptus civium gloriam auxit. Is Aristotelis abditos sensus ex Graecis textibus explanavit, et aevo suo Peripateticam doctrinam interpretum ambagibus involutam illustravit. Virente adhuc aetate, omnibus bonis flebilis, occidit, et viget adhuc ejus memoria in suorum animis.

---

(1) Tom. 5. pag. 110.

(2) Confer vitam editam a P. F. Arsenio ab Ascensione. *Firmi* 1629.

Google

Ut eidem virtuti, ac patriae debitus persolvatur honos, non est Augustini Antimi nomen obliterandum. Vir fuit optimis moribus imbutus, eruditione varia exornatus, humaniorum literarum studiis apprime deditus. In Eremitarum coetum cooptatus, ei longa fidelique opera inservivit. Cunctis charus, et praesertim supremo Ordinis Magistro, a secretis eidem fuit datus per plures annos. Inter cives diem clausit extremum, elogio decoratus. A. C. 1667

Adeo excellens ad scientiarum studia eodem tempore fuit Augustinus Riccius, ut Eremitarum societatem ingressus maxima virtutis suae specimina dederit. Humaniores literas initio professus, eas non modo Anconae explicavit, sed et tabulis ac commentariis uberrimis faciles reddidit. Vocatus ad Urbem, et ab cognitionibus sacris Alterio, Riccio, et Azolinio Cardinalibus datus, difficiliora negotia persolvit. Mox a Christina Svecorum regina expetitus, ejus aulam per annos cum nominis celebritate adornavit. Senio confectus Romae functus est vita. A. C. 1689 Nullum aliud ingenii monumentum post se reliquit praeter grammaticales animadversiones Anconae publice habitas. Nefarium scelus in latina re se facere arbitrabatur, si forte pagellam inquinasset solecismo.

Hinc pietate fulgens, et ingenio eminens, aditum sibi ad honores inter Eremitanos patefecit Augustinus Ciccarellus. Praecipua sacrarum facultatum interpretandarum obtinuit loca. Non semel a suis Romam (1) expetitus et retentus, a bibliotheca designatus emicuit. Mox a Picentibus accersitus, et ad provinciae praefecturam evectus, apud cives mortalitatem explevit. Eodem aevo Hannibal Partegnelfus vivebat. Natus ab ea gente, quae inter nos nobilitate florebat, antequam Patrocinius, strenuissimus miles, a Clemente VII. numismate, ob ejus merita cuso, donaretur; brevi omnium virtutum ac disciplinarum genere extitit clarus. Augustinianorum plausu inter sodales adlectus, et laurea donatus, adhibitus fuit ad imperium gerendum ea in sede, quam Firmi, Anconae, Bononiae, ac Florentiae tenuerant viri in Ordine clarissimi. Picentinae provinciae moderator conclamatus consilia prudenti, judicia justissimo semper ore dedit, enunciavit. Suorum jura semper conatus fuit acriter non tueri modo, sed et longius ac latius propagare. Aliis honoribus cumulatus consenuit Hannibal, et

A. C. 1710

(1) Boldettus *Cem. lib. III.*

Recineti occubuit, vertente anno 1726. Hae sunt inter nos Augustinianorum res praecipuae, quas ex probis exemplaribus excerpsi, quasque una cum illustrium virorum elogiis evulgandas duxi, ut apud antiquitatum studiosos gratiam inirem aliquam. Visum est etiam nostratium rerum quaedam adjungere, ne temporum injuria penitus interirent. Qui de patria sunt benemeriti, involvendi silentio nequaquam sunt. Hoc saltem officio bonis eorumdem manibus aliquid voluptatis afferri debet. Quidquid interim id operis est, libens lubensque excipiat Augustinianorum Ordo, exoramus. Sub felicissimis eorum auspiciis S. Augustini templum surrexit; in ejus instaurationem ii pluries incubuerunt enixe; et sumptu magno exornatum prodiit anno 1776, Petro Conio Mediolanense operis magistro (1). Erit illud erga cives perenne Augustinianorum cultus monumentum. Modo Dioecesi toti collucet in urbe, Cathedralis titulo decoratum, Jacobo Ranghiascio Episcopo procurante.

A. C. 1726

A. C. 1776

(1) Ex rogit. Gabrielis Cherubini 2. Martii 1779.

VII.

De Philippianorum, et Barnabitarum Collegiis.

Sub insignium Philippianorum, et Barnabitarum rerum specie volumen sibi exarandum Vitales Rachelius (1) non dubitavit. Marcianus (2), et Berellius (3) idem in opus tantum incubuere, quantum expectandum erat ab iis, qui grandiori volumine pressi praepropere legunt, excerpunt, describunt. Res igitur postulare videbatur, ut eorum loca insigniora hic rursus adnotarem, nonnulla cum editis conferrem, et nova quaedam subnecterem.

A. C.

1560 Lucas Serantonius anno 1560 in *Piscario* latifundo extra pomerium, ut patris sui, optimi viri, vota facesseret, lacunar voluit erectum, deditque operam, ut Deiparae imago puellum

---

(1) *Origine, e miracoli della Madonna de' Lumi. Macerata* 1694.

(2) *Memorie istoriche della Congregazione dell' Oratorio. Napoli* 1693. 1702.

(3) *Memorie dei Barnabiti. Bologna* 1703. 1707.

Digitized by Google

Jesum gremio tenentis inibi viseretur, opus Joannis Gentilis magistri Laurentii. Aleatores, uti fertur, saepe circa eam ludebant, et horum quamplures ob amissam ludo pecuniam furore perciti eam conviciis quandoque afficiebant. Mirum dictu! Anno 1584 die 16 Januarii horis nocturnis ex ea ingentia promanarunt lumina. Concursus proinde maximus ad locum fieri est coeptus, miracula alia innumera patrata. Quo factum, ut cives sacram aedem ibi exstruere edixerint; et Hieronymus Vitalis de Bobus Episcopus Camerinensis, qui Piceni administrationem forti animo obibat, perquam sane diligenter curaverit, ut omnia ex ordine peragerentur. Scripsit ad Gasparem Ursinum Vicarium suum ea omnia, quae Lucae Tardulo Canonico, ad sacra curanda inter nos evocato, hac de re suis verbis significanda esse duxisset. Mandavit etiam Mutio Achillaeo, et Petro Martino Saxolino, ut in negotium istud tam praeclarum incumberent.

A. C. 1584

Brevi ex Deiparae imagine, repetita vice, alia dimanarunt lumina, et miraculorum fama concursus civium, accolarumque frequentior est factus, aede sacra confecta. Hinc maximo cum totius oppidi plausu Ursinus ipse festo

die SS. Trinitatis anno 1584 ex templo principe ad s. Mariae Luminum sacellum una cum Senatu, ac Religiosorum ordinum familiis processit, sacrisque inibi fuit operatus. Dein, ut alia sileamus, ad oppidum accessit Episcopus de Bobus, qui Legatus ad Stephanum Poloniae regem pergebat. Omni ipse ope curavit, ut amplissimum templum in Deiparae honorem exstrueretur, opus quod esset admirabile etiam posteris civium potentiae, ac majestatis monumentum. Quare majores nostri Urbinatium Ducem sunt obtestati, ut daret in mandatis Ludovico Carduccio, insignis nominis architecto, accingere se ad totius operis confectionem. Sed dum muneris curam Ludovicus ita ingrediebatur, ut in eo exercendo, cum existimationis suae ac nominis, tum etiam templi dignitatis et celebritatis rationem habuisse videretur; cives in curiam conventi legem tulerunt, negocium esse tradendum Philippianis, Sylvio Tincto suadente. Is a sacra vice Archiepiscopi Montis regalis adiutor fuit; scripsit cum laude in jus Pontificium, et alia evulgavit.

Rebus ita transactis, cives ad divum Philippum in urbem miserunt Petrum Martinum Saxolinum internuncium suum, ut ageret cum

eo de templi forma; deque illo Vallicellianae societati tradendo curaret. Paratum se dixit Nerius Alexandrum Fidelium ad oppidum mittere de negocii expeditione deliberaturum. Perbrevi igitur ab accessu tempore in oppidum rediit Saxolinus summa civium laetitia exceptus; et anno 1586 die 1. junii, Sixto V. annuente (1), Alexander, divi Philippi nomine, sacellum s. Mariae Luminum fuit consecutus, et primum, die XXIII. ejusdem mensis, in substructione lapidem stravit illius templi, quod nunc visitur; magistro operis facto Joanne Baptista Guerra Mutinense, quem in construendis aedibus excelluisse omnes sciunt. Et quia Nerius valde cupiebat, ne Sacerdotes simili in pietatis ludo apud Ecclesiam divi Benedicti innocenter versati praeterirentur; hilari sane vultu intellexit, Bartholomaeum Achillaeum hujus novae congregationis praefecturam gessisse, in partem laboris adscitis Mutio Achil-

A. C. 1586

(1) *Ecclesia S. Mariae Luminum concessa fuit Patribus Congregationis Oratorii B. Mariae in Vallicella de Urbe a Sixto V. cum literis Romae latis apud S. Petrum anno* 1586. *pridie kal. Aprilis — Ex tab. Capit.* In iis Luminum prodigium confirmatur.

laeo, et Petro Martino Saxolino plures jam annos sibi charissimis.

Brevi in eam sententiam fuit adductus Severinus Puccitellus. Clarissimis parentibus ortus, et in ipso aetatis tyrocinio piis moribus imbutus, optimae indolis documenta exhibuerat. Orator ad Pontifices semel et iterum Romam missus, (1) ea legatione pie sapienterque erat usus. Sed a civilium rerum tumultu remotus ecclesiasticae vitae rationem, quam proposuerat, persequi valuit, in cujus administratione omnes justitiae partes cursu praepropero implevit. Mox eodem in conventu a Bartholomaeo fuerunt excepti Angelus Matthaeuccius Camers, et Arsenius Talpa, ubi, posthabito domestico splendore, ad literarum studium nervos adhibuere. In horum gratiam Congregationi nomen dein dedit Joannes Severanus. Hac in via feliciter ipse progressus, scientia, pietate id fuit assecutus, ut nemo pluribus majoribusque praesidiis ad res sacras gerendas instructior haberetur. Ob id domi primum, hinc Romae debitum virtutibus suis,

(1) Ex lib. Com. nostrae.

et honestissimis laboribus fructum ipse percepit (1).

Dira interim pestis Italiam fere universam funeribus exhausit: et quamvis ad cladem

(1) Joannes Severanus, domo Septempeda, natus est anno 1560. Postquam politioribus literis, et philosophicis, mathematicisque disciplinis adjunxit animum, Romam profectus sacris in rebus versatus est. Florebant jam tum viri praestantissimi, qui castam sinceramque scribendi formam unice amabant; et potuit se se probare Camillo Burghesio Antistiti urbano, viro de eloquentia latina mehercule bene sentienti. Sed brevi domum reversus in Philippianorum societatem adscriptus fuit. Eo in ludo nullum vitae tempus praeterire passus est, quo literarum aliquid non regustaret, atque id genus solatiis severiorum disciplinarum tristitiam deliniendam esse non arbitraretur. Multa iis de rebus praeclara ab urbana Philippianorum gente in Severanum beneficia sunt profecta. Nam anno 1600. Romam accitus, et inter sodales cooptatus in sacra Vallicelliana aede conciones suas habuit per annos multos. Franciscus Barberinus Cardinalis ei e suggestu loquenti deditus ita fuit, ut quotidianus ferme adesset, et studiosus praeesset concioni. Crebra etiam approbatione eum audivit Martius Giannettus Cardinalis, qui faciles semper aditus ei praebuit, cumulatam praemiis, honoribus, laudibus eum dimisit. Imo non dubitavit verbis amantissimis Severanum allicere, ut secum Coloniam peteret ad gravissima Ecclesiae negocia pertractanda. Sed contigit ei oportunius in Vallicelliano collegio vitam agere. Nam celeberrimum Bosianum opus in nonnullis castigavit, adauxit,

averruncandam, quae biennio grassata est, multa pietatis opera indicerentur; vix tamen decimum quemque mortalium superstitem fuisse memorant historiae. Anno 1591 saevissimum morbi genus absumpsit Bartholomaeum Achillaeum, et Petrum Martinum Saxolinum, viros usu rerum, doctrina, et vitae innocentia laudabiles. Hinc, quo majore studio potuit, anno 1592 die 25 martii Nerius Episcopo Martiario literas (1) dedit, ex quibus intelligimus, quam divo Philippo esset grata Antistitis cura, diligentiaque in societatis rebus (2) pro-

A. C. 1591

Cardinale Barberino, et Melitensium Legato exorantibus. Intimae theologiae succo, solidaeque sanctorum Patrum doctrinae nervis viguit ejus oratio, quae praeterea disciplinarum omnium antiquarum varietate effloruit, redundavitque. Obiit Romae anno 1640. pie sancteque. De eo Natalis Alexander, Mirraeus, Fabricius, Mutius, Allacius, Mandosius, Arrighius, Bollandus, Fontaninius, Crispinius, Civallus, Aloysius Ranghiascius in bibliographia Pontificia, aliique. Scripta, quae edidit, heic feruntur. — *Pretiosae mortes justorum. Romae* 1627 — *Memorie sacre delle sette Chiese di Roma. Roma* 1630 — *Roma sotterranea di Antonio Bosio accresciuta da Giovanni Severani. Roma* 1632. —

(1) Ex Baccio cum addit. liter.

(2) Ubi anno 1589. templum s. Mariae Luminum una cum addita domo fuit confectum; Divus Philippus die 30.

movendis. Dum ita Martiarius majorem quotidie suggerebat de se bene scribendi materiam ; nihil civibus evenire hinc molestius potuit, quam perspicere urbanum Philippianorum coetum, ob itineris longinquitatem, meditantem sacram Luminum aedem deserere. Sed Antonius Talpa, et Franciscus Maria Tarugius doluerunt satis quicquid officere huic negocio posset. Nec dubitavit Nerius amantissimis verbis Arsenium Talpam oratorem nostrum recreare. Interea Laurentius Laurus, de quo alio disseruimus, et Valerius Cancellottus eques, vir recondita nostratium rerum doctrina, monumentisque illustris, Felici Damiano Eugubino commiserant, ut Dei parentis aedem picturis exornaret. Felix opus docte et abunde confecit anno 1596. Haud multo post Joannes Severanus Romam se contulit, a Philippianis ad gerenda Ecclesiae munia postulatus, ubi, donec vixit, gravissimis negociis distentus mansit, Grassio ac Ancinae charissimus.

A. C. 1596

A. C. 1600

Sed dolendum brevi fuit, Clementem VIII.

---

septembris ab Horatio Martiario Episcopo rursus petierat per literas, in ea, quam instituerat, via eodem passu pergeret iter facere — *Ex Baccio loc. cit.*

A. C. 1601 anno 1601 potestatem Vallicellianae societati fecisse jubendi, et statuendi, quae sibi essent usui in hac nostra Philippianorum colonia abroganda. Quare Ciccolinus Margarutius omni ope sane curavit, ut Clericis Regularibus s. Pauli Barnabitis antiquata Congregationis jura crederentur. Vir nobilitatis, ingenii, et vitae laudibus excellens nihil charius patrio studio habebat: et tantum auctoritatis apud s. Carolum ipse erat adeptus, ut, ubi primum Mediolanum Borromaeus accesserat, Ciccolinum suas aedes incolere, totamque fere negotiorum molem sustinere voluerit. Dein multis Italiae Episcopis verae amicitiae favore conjunctus effecerat, ut eorum nemo unquam suam, vel in rebus sacris gerendis solertiam, vel in dando consilio fidem, vel in vitae instituto sanctimoniam desiderasset. Quibus de rebus is summa apud cives pollens gratia, anno mox recensito laetabundus vidit, Claudium a Seroz Burgundum, et Paulum Mariam a Petra, Barnabitarum verbis, Divae Luminum templum pleno jure (1) subire, Horatio Martiario Episcopo, Joanne Maria Peverotio, Rogerio Servantio, et Floro

(1) Ex actis Eustachii Salvatorii.

Camillio consulibus. Reliquum modo est, ut, antequam ad alteram Philippianorum chronotaxim progrediamur, Barnabitarum res summaria, ac sejuncta ratione proferamus.

§. I.

Ubi, quod Barnabitis erat agendum, communi omnium sententia fuit constitutum; vigilem curam Isabella Sanctinellia, pisaurensis, uxor Nutii Margarutii equitis adhibuit, ut Dei Parentis ara ornatius instauraretur, magna ad id aureorum vi adtributa, et adaucta a Galathea Felitia. Opus, quod visitur marmoribus insigne, fuit absolutum anno 1623. Floruit hoc tempore virtutibus, et multiplici scientiarum notitia Basilius Margarutius. In Barnabitarum societatem cooptatus veteri suorum expectationi adeo cumulate respondit, et tam amplum apud omnes gratiae locum occupavit, ut ejus funus ingenti omnium moerore anno 1634 sit celebratum. Sed jam Caelestinus Puccitellus in Barnabitarum coetum admissus, post prima literarum rudimenta, tantum vitae probitate, philosophiae, et theologiae studio profecerat; ut doctissimus, et verbi Dei praeco insignis

A. C. 1623

A. C. 1634

evasisset Romae, Florentiae, Mediolani, et Genuae, ubi luculentam in communi Senatus consessu habuerat (1) orationem. Ab Urbano VIII. ad Schalae, ac Ravelli infulam promotus, Uladislai Poloniae regis benevolentia (2) enituit. Ipse anno 1637. Deiparae dono dedit argentum conflatum in vestem vix prominentem ex toto. Anno 1640 Barnabitarum collegio praedivitem censum Hannibalem Margarutium constat (3) scripto legasse. Is variis praeliis in Germania, Rhetia, Italia interfuerat, et tum pedestres, tum equestres copias strenuus, et intrepidus ductaverat. Ferrariae ipse decessit, ubi erat militum tribunus, arcisque praefectus. Dein Episcopus Puccitellus reversus in patriam, ut animum recrearet, morbo tentatus et victus sui desiderium reliquit anno 1642 die 14 septembris, in Deiparae sacello (4) sepultus. Pompam ei funebrem cultu insigni cives appararunt, et Franciscus Sperellus Epi-

A. C. 1640

A. C. 1642

(1) *Il nodo Gordiano. Genova* 1629. — Confer *bibliot. volant.* ampliat. a Gilaseo Enteliense pag. 35.

(2) Consule partem primam.

(3) Ex publicis monumentis.

(4) Ughellius Ital. sacr.

scopus, ac Senatus, moerentes atratique duxere. Publicis exornatus encomiis monumenti honore non caruit. Et hic nefas omnino esset silentio praeterire, Puccitellorum gentem gloriae suae propagines egisse in Valentinia sobole, ex qua pariter viros domi, forisque insignes armis, et literis longe ante saeculum XV. prodiisse legimus. Inter hos prae ceteris effulsit Sylvius, qui reipublicae nostrae copiis semel et iterum praefectus factiosorum motus animi moderatione sedavit. Hyacintus vero ingenii nobilitate, atque eloquentia clarus summa apud Cardinalem Brancaccium in veneratione fuit.

Gaspar Servantius generis claritati vitae candorem, et doctrinae laudem adjunxerat. Antistes (1) urbanus electus, Canonicus templi Principis Apostolorum factus, et rerum gerendarum usu jam tum commendatus, ex quo cum Antonio Barberino Cardinali ad Gallorum regem perrexerat, anno 1646 expressit, quanto pietatis ardore in Virginem teneretur.

A. C. 1646

(1) I. B. Gatticus in actis select. caerem. S. R. E. Romae 1753.

Digitized by Google

Ipse ante ejus aram pavimentum vario marmore sterni curavit, et aureorum vim pro maritandarum puellarum dotibus testamento reliquit. Hoc tempore inter Barnabitarum societatem Philippus Tinctus enituit. Dignis parentum nobilitate moribus imbutus, et pluribus Collegiorum negociis praefectus, illaesae famae opinione diu Mediolani permansit. Provincialis constitutus, post Visitator generalis creatus, tulit justitiae laudem. Gravium negociorum usum literarum cognitioni pari felicitate conjunxit. Vivido enim, et praestanti ingenio, literarum politiorum ab ipsa juventute minime rudis, exactam multarum rerum scientiam sibi comparaverat. Ob id Barnabitarum, et Picentum res docte incoeperat, quas morte interceptus non absolvit. Conscripserat etiam Derthonensium historiam. Dorotheus Panicarius adhuc juvenis meruit, ut in Barnabitarum ordinem legeretur. Jussus, ut philosophiae et theologiae operam daret, in utraque plurimum profecit. Sed, tota impellente natura, ad poesim raptus, in ea, ingenii sui oblectamento ferme unico, puer et senex versatus est. Varia italico idiomate posteris legenda reliquit, sed aetatis vitio prorsus aspersa: exaggeratas

metaphoras, ingeniosasque ineptias ipse consectabatur. Obiit anno 1665 die 18 januarii. Inter cives, qui literis et virtute penes Barnabitas hoc aevo claruerunt, non ultimum locum est adeptus Julius Scampolus. Liberalibus disciplinis imbutus, et pari morum elegantia ornatus, jam inde a puero haud obscura magnitudinis argumenta praesetulerat. Et sane fulgebat in Julio explorata rerum gerendarum prudentia, et diuturnus literarum usus. Vivens nonnulla soluto pede (1) scripsit, et edidit. Sed depascere luxuriem verborum, retractare periodum, castigare scripturam non fuit apud Scampolum in honore. Ejus corpus elatum humili funere excepit Sacra luminum Aedes anno 1688.

A. C. 1665

A. C. 1688

Haec inter Vitales Rachelius ad hanc Barnabitarum societatem missus, totus erat in Deiparae rebus conscribendis. Qua de re urbs visa est magnam voluptatem cepisse. Hinc Camillus Joseph Perolus collegii Vicarius anno 1715 templum picturis, auroque exornavit.

A. C. 1715

(1) *Picenum, sive Marchia Anconitana. — La tromba eroica — Discorso apologetico in difesa della milizia ecclesiastica. — Vita della Pia Francesca.*

A. C. 1734 Dionysius Pieragostinus Episcopus sacrae huic aedi tantum favoris sui anno 1734 dedit, quantum ei satis esset ad augendum Divae splendorem. Ipse enim solemnioribus caeremoniis Ecclesiam inauguravit, et ab urbis proceribus in Curiam conventis fuit lex rogata, ut civium in Virginem alacrem animum tardiores nepotes agnoscerent.

Inter Josephum Vignolium Episcopum, et Ludovicum Carandinium urbis Praefectum plurima benevolentiae, et necessitudinis officia paria ac mutua existebant. Hic amor a teneris annis constitutus eo diligentius servabatur ab ipsis, quo magis invicem de republica bene mererentur. Quare vehementer ipsi curarunt, ut a Canonicis, quibus sacra Vaticani templi sunt commendata, anno 1747. Dei Parentis imago aurea corona donaretur. Et cum a Petro Hieronymo Guilielmo Antistite Urbano statutum esset Roma ob hoc negocium conficiendum discedere; ei de Vaticana aede optime merito Capitulum ipsum libentissime tribuit, quod Vignolius, Carandinius, ac cives in primis efflagitaverant. Porro Guilielmus nostram in urbem contendit, triumphali veluti pompa exceptus. Dies XVII. septembris deligi-

A. C. 1747

tur, qui esset civibus faustus, atque laetissimus. Obtulit ipse binas auri coronas. Deductus a nobilioribus civibus ad templi limen, in illud intravit. Ubi ad aram maximam supplicaturus contendit, et, adstante Pontifice, et Praefecto, sacra peregit, in Deiparae sacellum praetergresus, puelli Jesu, et Virginis tempora corona (1) praecinxit. Obortas prae gaudio lacrymas vix continuere viri togati, optimi cives, ipsique ante alios Episcopus, et Praefectus. Solemnia sacra ad tres dies sunt protracta. Parietes auro textili, et serico omnis coloris eleganter variegato, itemque phrygiis operibus, et acu pictis sagulis spectantium oculos perstringebant. Marcellus Baldassinius, et Julianus Alaleonius Barnabitae ad declarandam laetitiam e superiori loco dixerunt graviter et diserte. A templo per regionem albis et cyaneis pannis coopertam, quae incurvo tractu ad forum magnum perducit, praecinentibus tibiis processum est, porticibus hinc inde gentium multitudine refertis, festa fronde, pictisque tapetibus exornatis, machina in versatili ad noctem seram displodente. Haec ex

(1) Ex actis Xaverii Acciaccaferrei.

commentario typis impresso (1) aliquanto fusius, omissis tamen nonnullis brevitatis studio, quae non magnopere huc pertinere videbantur.

Hoc civium studium in Deiparae rem sane etiam gratissimum accidit iis, qui Romae erant praepositi ad sacros ritus cognoscendos. Ipsi anno 1771 die 7 decembris edixere, ut Virginis officium, et missa die XVII. januarii quotannis celebraretur. Et quoniam ad templi splendorem aliqua adhuc erant constituenda; anno 1790 proventus suos in praegrandi Divi Pauli sacello aedificando Barnabitae impenderunt. Sed bella caedesque in Italia minime desinebant; et viri efferatiores in Clerum resque sacras saevientes, aut templa solo aequabant, aut coenobia diripiebant, clericis monachisque dimissis. Quare et Barnabitarum coetus e finibus nostris ab irruentibus Gallis vi atque injuria fuit expulsus, quo primum tempore Picentum rebus sunt potiti. At ubi exteros milites a sacrorum invasione numen deter-

A. C. 1771

A. C. 1790

(1) *Compendio storico della immagine della SS. Vergine de' Lumi con note del Conte Severino Servanzio-Collio. Camerino* 1835.

ruit; Reformati recessus s. Mariae Gratiarum anno 1799 templi procurationem facile sunt assecuti. Terrae enim motibus ad multos dies protractis civitas fuerat concussa, Reformatorum aede in primis convulsa. Territi cives domunculas exilibus ex tabulis, ubi degerent, patenti in agro excitaverant. In monte, qui ab urbe haud longe attollitur, cubitis quamplurimis hiatus est factus, aeternum cladis hujusmodi monumentum.

A. C. 1800

Vertente anno 1800., Barnabitarum societas restitui per cives in templi possessionem non solum cupivit, sed etiam auspicato literarum bono Seminarii rebus potiri, uti satis alio diximus. Sed dum civibus, et Anselmio Episcopo omnium hominum charissimi ipsi erant, novis motibus Italiae res turbatae sunt, et anno 1810 urbem moerore affecit novus Barnabitarum defectus. Postquam vero Europae Principes, apud Viennam frequentes coacti, Pii VII. conatus juvarunt; statim cives edixere de Barnabitarum coetu revocando. Interim Episcopus Ranghiascius totus erat in ipsius Ecclesiae commodis procurandis; et anno 1820 die 9 maii palam aerarii Quaestori fecit, quo templi res in loco essent, quaeque neces-

A. C. 1810

A. C. 1820

sitas urgeret annuo censu illud honestandi. Et muneri Quaestor non defuit. Imo idem tantum auxilii Barnabitis dedit, quantum eis satis esset ad rursus optimum hujus Collegii regimen ineundum. Nunc ad alteram Philippianorum chronotaxim transeamus.

§. II.

Diligentia, qua Mutium Achillaeum in urbanis Philippianorum rebus administrandis usum fuisse viderant cives, magnopere ab omnibus adhuc probabatur. Quare hortati sunt eum, ut, quemadmodum laudabiliter in sacra Luminum aede se gesserat, ita rursus id ageret in Ecclesia s. Benedicti, Philippianorum societatem inibi instaurando. Quod jucundissimum fuit Alexandro Sperellio, Juliano Tincto, Mauritio Cancellotto, Orpheo Rosa, Fabritio Pransonio, Mariano Cataldio, Hortensio Gentilio, Pyrrho Achillaeo, Maffaeo Gambaro, Hilario Collio, Ascanio Cicconio, et Valentino Brunio. Nam ii erant omnes Patres conscripti in curia literaria Conferentium *Floridae*. Ii charissimum habebant Mutium, et optabant, ut magis magisque in dies singulos merita exau-

geret sua eam in Academiam, veluti imaginem Oratorii praeferentem, quam alio vidimus prope Ecclesiam s. Benedicti refloruisse. Et quidem de hac republica constituenda jampridem viri docti cogitaverant, eamque certis legibus communierant. Princeps societatis summam curabat. Scriba publicus Senatus consulta, edicta, decreta omnia in acta referebat; idem vel generalis conventus, vel privati consessus praestitutum a Principe tempus illis, qui interesse debebant, significabat. Viri bonis artibus, et sacris praesertim disciplinis instructi, scientiisque informati, qui illustrare, et promovere eas possent, recipiebantur. Praecipuum vero Beato Philippo cultum exhibebant, ab eisque ejus obitus dies habebatur (1) solemnis. Nil igitur mirum, si anno 1619 in curia literaria adfuerint omnes, et placuerit legem, civium consensu rogatam, sanciri de ejus officio, et missa expetendis, Joanne Severano, et Francisco Zazzara suis in urbe interpretibus. Hinc anno 1620. Petrus Philippus Lazzarellius Plebanus ecclesiam s. Benedicti eo literariae reipublicae adtribui duxit, ut novus Philippia-

A. C. 1619

A. C. 1620

(1) Ex fastis Academiae apud Renaldium.

norum coetus ex ejus gremio prodiret. Tanta laetitia is nuncius omnes affecit, ut dolorem leniverit, quem ex abrogata Luminum societate cives contraxerant (1).

Hac de praefectura Mutio tradenda magnopere gratulatus fuit Ascanius Sperellus Episcopus, qui eam confirmavit (2) anno 1620 die 26 junii: et de se Lazarellius die 1 octobris Mutio ea omnia publicis tabulis (3) promisit, quae ab obtimo cive erant speranda. Dein Conferentium obsequium, quod Gregorio XV. Joannes Severanus praestitit, Pontifici jucundum accidit, illudque libenti animo suis cum literis Romae latis anno 1621 die 17 julii complexus fuit, et pro societate exemptionibus honestanda neque studii, neque amoris nihil omnino (4) praetermisit. Rebus ita transactis, die 19 augusti postulavit Mutius, ut Ecclesiam s. Benedicti Episcopus Sperellus sibi traderet, et ei gratulatus est (5) Episcopus, quod nova

(1) Ex rogitibus Eustachii Salvatorii.
(2) Ex tabulario Episcopali.
(3) Ex actis Eustachii Salvatorii.
(4) Ex arch. Episc.
(5) Ex rogitibus Vincentii Butaronii.

Philippianorum colonia eum sibi magistrum legisset, tum Philippi nomine atque causa, tum etiam quod multos annos Oratorii, et Canonicorum rebus egregium studium navaverat. Sigismundus Pianus, Nutus Nutius, Octavius Cancellottus, magna apud cives auctoritate viri, Mutii vestigia sunt secuti, pari sanctimoniae laude certantes. Sed brevi etiam Eustachius Talpa inter Philippianos cooptatus expressit, quam verae pietatis, et reipublicae christianae studio ipse flagraret. Ab ineuntis aetatis tyrocinio praeclaram ingenii indolem literis excoluerat, et, Antonii ac Arsenii fratrum vestigiis insistens, oratoriae facultati peritiam juris adjunxerat. In Conferentium societatem receptus, in studiis mitioribus, praesertimque poetices, elegantis ingenii commendationem sibi conciliaverat, facilemque ad Joannis Ciampoli, doctissimi viri, gratiam sibi aditum patefecerat.

A. C. 1622

Cives, de Nerii studio perveterique voluntate admoniti, edixere anno 1622 die 25 martii, ut ejus in honorem in sacra Barnabitarum aede, et in Divi Benedicti solemnia augustiora cum ornatissimo procerum comitatu peragerentur. Et, ut coeptis, et votis omnibus benignissime semper adspiravisset Philippus,

Google

in Sanctorum albo tum relatus; die XXII. maii ejusdem anni, in perpetuum subjectae mentis, animique devoti obsequium, illius patrocinium expostulandum esse, Senatus populusque (1) decrevit. Hoc tempore Ecclesia s. Benedicti Nerio titulo fuit honestata. Sed brevi, quantum molestiae Antonii Talpae mors Philippianis attulisset, ex veteri in illum Divi Institutoris benevolentia per se quisque facile potest existimare. Amiserant in illo non magnum et prudentem modo civem, sed optimum etiam parentem, suique observantissimum. Consenuerat Antonius: sed fessum aetate corpus, et ingenium sapientia validius ipse gerens, usui adhuc erat publice, cum anno 1624 die 14 januarii Neapoli extinctus est. Decoratus fuit memoria insigni, quam alio exhibuimus. Pari etiam civium moerore e vivis erepto nostratium rerum curatores pompa ingenti eodem anno in templo maximo funus instaurarunt. De illius virtutibus scripserat graviter et diserte Caesar Baronius, qui Antonio tractatio-

A. C. 1624

(1) Ex publicis monumentis.

nes suas, et eam praesertim de *Sicula monarchia* corrigendam tradiderat (1).

Caesar Cancellottus, nobilibus parentibus natus, honestis institutus moribus, studio legum addictus, et multiplici aliarum rerum peritia conspicuus, anno 1632 in Philippianorum collegium fuit cooptatus. Per omnia societatis munera religionis, doctrinae, prudentiaeque laude diu versatus, ad Archidiaconatum Ecclesiae nostrae promoveri, et mox infula Viliensi, ac tandem Montis Alti decorari meruit. Anno 1634 die 11 novembris Mutius Achillaeus, Philippianorum praefectura clarus, moerore civium ac luctu decessit. Disceptationes multas, plerumque liturgicas, doctas, disertas, gravesque habuit, quae in privata Oratorii bibliotheca extant. Brevi hanc Philippianorum jacturam repararunt Angelus Boccauratus, Eutitius Petrangelus, et Paulus Æmilius Scodetonius. In societatem admissi, raro quodam naturae munere, et casta vitae consuetudine, omnibus in negociis singulare decus, et mi-

A. C. 1632

A. C. 1634

(1) Confer vitam Caesaris Baronii Romae editam anno 1651 auctore Hieronymo Barnabei *lib.* 2 *cap.* 3 *et* 6

rificam dignitatem praesetulerunt. Sed horum praepropera mors moerentes suspensosque aliquot dies habuit Patres reliquos. Quare ipsi ad Neapolitanum Philippianorum collegium legarunt Hieronymum (1) Talpam, quem propter familiae splendorem, et summam doctrinam atque virtutem Hinnicus Caracciolus Archiepiscopus Cardinalis amantissime complectebatur, ut Serlupium quam celerrime ad nos Collegium ipsum mitteret, ut Philippianis nostris eam adderet auctoritatem, qua Neapoli Antonius Talpa mirifice usus erat.

A. C. 1677

Sed, dum haec Neapoli agebantur, gratiosiores Philippianis nostris Petri Antonii Petralatae literae fuerunt. In iis ipse ostendebat, se paratum animatumque esse nostra ingredi moenia, dummodo societas nihil esset ei pro suo in eum veteri cultu recusatura. De hac ejus animi propensione gavisi sunt omnes, et viderunt hujus viri fortis proventu Oratorii rem non inopem factam. Et fuit eo omnibus haec Petri Antonii alacritas oportunior, quo

(1) Scripsit — *Memorie dell' antica, e nuova città di Settempeda libri VIII.* — penes Josephum Ranaldium.

majori celeritate opus erat ad Philippianorum negocia recte conficienda. Is igitur, homo externus, caelesti potius, quam humano nutu eorum praefecturam est adeptus. Natus erat Vissii, et, postquam literarum cognitione animum exstruxerat, Aquilam profectus, et in Philippianorum collegium cooptatus, summa integritatis, et continentiae laude brevi omnibus anteierat. Rebus ipse nostris totus incumbens perrexit sane, quemadmodum coeperat, et nulla in re defuit ad Oratorii dignitatem augendam.

Hoc aevo Bernardus Gentilius e Rovellono petiit a Patribus, ut permitterent, societati se praesto esse. Et id pro suo in tuenda christiana re studio facile obtinuit. Fulgebat in eo, praeter ipsam Rovellonae gentis praerogativam, explorata rerum gerendarum prudentia. Per id temporis libros de antiquitatibus nostris, deque claris civibus ipse (1) incoeperat. Vir doctus pariter, ac pius fuit ab urbano Pilip-

---

(1) Scripsit — *Dissertazione sulle antichità di Settempeda* — *Vita di Bartolomeo Eustacchi* — *Vita di s. Severino Vescovo Ms.* — *Memorie diverse patrie, e picene vol. V. Ms.*

pianorum coetu amplis honoribus sollicitatus, ut Romam peteret. Sed jam Bernardinus Lutius rerum sacrarum actionibus adeo erat intentus, ut nemo eo diligentior, aut laboriosior in Congregatione nostra versatus dignosceretur. Erant in eo multae, atque praeclarae tam corporis, quam animi dotes, quibus accedebat familiae splendor, literarum peritia, vitae integritas, ac liberalitas vera, qua pios semper homines, et eorum studia fovebat.

A. C. 1732 Dionysius Pieragostinus Episcopus anno 1732 sacram Philippianorum aedem solemni pompa (1) inauguravit. Dein civibus cognitam fecit Bernardus Gentilius e Rovellono diligentiam, quam ipse adhibebat, ut urbs novis splendoribus honestaretur. A. C. 1734 Is anno 1734 curavit, ut istuc lypsana SS. Gabinii, et Martyrii, qui Romae pro Christo sanguinem effuderant, privata impensa ex coemeterio s. Saturnini transveherentur, utque ea in Philippianorum templo (2) conquiescerent. Nec praetereundum, collegium istud in curam recepisse

(1) Ex publicis monumentis.

(2) Ex rogitibus Xaverii Acciaccaferrei.

Perseum Ranaldium. Arpini ipse natus, et in Philippianos adscitus, virtutis expectationem superavit ad negocia quaeque ardua tractanda vocatus. Hoc tempore aedes, quae Oratorii nomine aetate nostra notantur, veluti a fundamentis erectae sunt; et vixit in eis Joseph Ægydius theologus, et verbi Dei concionator eximius. Episcopis, tum propter ejus opportuna in rerum difficultatibus consilia, tum ob ejus vitae sanctimoniam charissimus perpetuam nominis commendationem sibi paravit. Iisdem vestigiis insistens Franciscus Hortensius tam doctrinae, quam virtutis ornamentis enituit. Mitioribus studiis excultus, ea apud Mathilicenses, ac Genesinos cum laude erat professus. Eumdem in coetum Joannes Bigiolius relatus, mirum profecto est, quantum in ipso adolescentiae flore maturos, et seniles mores expresserit. Ipse multa probitatis argumenta, et (1) manifesta doctrinae indicia evulgavit. Omnium, quas in Congregatione curas viri isti gesserunt, ea non postrema fuit, ut

---

(1) Scripsit — *Vita del B. Pacifico Divini da Sanseverino — Meditazioni del P. Giacomo Nouet disposte in buon metodo, e fornite di note.*

A. C. Oratorium conficeretur, quod Ecclesiae conti-
1808 guum vidimus.

Interea subit annus 1808, diuturna exterorum militum direptione funestus, in quo Philippianorum coetus, quasi vile mancipium, fuit abrogatus, sacra eorum aede, quod posteri exhorrescent, in Martis stationem conversa. Sed ubi pax Ecclesiae fuit data, et Pius VII. munificus, liberalis perpetuum censum eorum Collegio annectendum constituit; ii rursus praefecturam in Divi Philippi gesserunt.

VIII.

De Paulanorum Hospitio.

Ea semper vitae ratio nobis fuit, ut in muneribus suscipiendis patriae bonum spectaremus. Rem me publicam aliquatenus navaturum ratus, librum hunc ordiendum mihi, perficiendumque esse duxi. Quod si neque ingenio perfectum, neque industria elaboratum videtur; illud velim, qui haec legent, meminerint, laeti hunc animi minime esse fructum, sed quoddam potius diuturni laboris artificium. Detur hoc mihi, et Paulanorum res cursim perstringam.

A. C. 1641

Quod opes suas sodalibus s. Francisci Paulani apud Ferrarienses agentibus pro hospitio inter nos (1) constituendo anno 1641 addixerit Sulpitia Massarellia Michaelis Angeli filia, et Episcopi Thelesini nepos, laudes ei, quas debeo, maximas tribuo. Sentio, quo ani-

(1) Ex rogit: Sebastiani Pacii 11. Martii 1641.

mo in cives ipsa fuerit, quantaque benevolentia Ferrariae Paulanos esset prosecuta. Ea enim in urbe Sulpitia cum Hannibale Margarutio viro suo, et illius arcis praefecto degens, habuerat libenter inter illos, qui sibi ob morum innocentiam summopere probabantur, Franciscum Antonium Gallum inter Paulanorum societatem cooptatum. Quare ubi Hannibal a multis defletus Ferrariae occubuit, et inter nostros Sulpitia reversa fuit, non dubitavit, quin Paulani Ecclesiae nostrae negotia etiam susciperent. Voluit igitur eis praesto esse, et bene grati erga eos animi praeclara signa, atque indita testamento ostendere. Et oculis libentissimis sane legi, quae Eustachius Salvatorius, et Sebastianus Pacius, post Sulpitiae obitum, hac de re perficienda egerunt. Ipsi, ad Paulanorum familiam in urbem prorogandam, aedem in summitate *Montis Nigri* (1) a majoribus nostris pro re publica institutam compararunt, eamque refectam, et novo cultu exornatam Sacello in honorem *Divi Francisci de Paula* locupletarunt.

---

(1) Ex actis visit. Episcopi Forlani 1758.

Digitized by Google

Brevi de hoc novo hospitio inducendo controversia extitit, quae Paulanos segnes ad omnia reddidisset, nisi ii, qui Romae erant Episcoporum negociis praepositi, rem confecissent. Et laeto animo ejusmodi nuncium acceperunt Paulani, qui parati erant ad ea pacta servanda, quae inter *mendicantes* viros antiquitus statuta, sancitaque fuerant, quaeque propediem erant firmanda. Legimus Urbani VIII. literas latas (1) anno 1642 die XV, julii, et intelleximus, quid Paulani facere, quibus stare conditionibus deberent. Quare anno 1643 utilem inter nostros ii operam posuerunt illa in aede, de qua supra fuit sermo. Franciscus Sperellus episcopus eorum dignitati ardentius consuluit: hospitium in ampliorem benevolentiae fidem receperunt cives: plurima totius Paulanae gentis egregia officia et studia in nostros extitere.

A. C. 1642

A. C. 1643

A. C. 1743

Anno 1743 cives a Paulanis sperarunt uberiores se utilitates, adjumentaque esse firmiora percepturos, si in Divi Rochi sedem ipsi transferrent. De re felici omine inchoata

(1) Sub datum Romae apud S. Mariam Majorem.

urbs visa est voluptatem cepisse, seque admodum, audita Episcopi confirmatione, exhilaravisse. Ast si deinceps quid erat, in quo amplificare Paulanorum commoda posset Jacobus de Oddis Cardinalis, et Prior s. Pauli; suam eis operam in eo fuit libentissime pollicitus. Et quidem ex more boni Principis ipse fecit. Voluit anno 1759, ut Paulani splendidius apud antiquam *S. Severini de ponte* Ecclesiam degerent. Uterer pluribus verbis, nisi res satis per se ipsa loqueretur. Unum addam, Paulanos hac in prisca Cruciferorum sede incolatum adhuc trahere, Dei ministerio cum laude mancipatos.

A. C. 1759

CONCLUSIO

Hactenus de Caelitibus Sanctis, quos in sinu suo Ecclesia Septempedana aluit. Ii et numero plures, et ex iis non pauci in universa Ecclesia celebratissimi. Eorum acta explicare, levi etiam manu; quae de illis minus recte a Scriptoribus constituta fuerant, emendare, et in publicum, quae nec a Bollandianis sociis, nec ab alio, quod sciam, edita erant, proferre; res fuit non facilis momenti. Dicam tamen

aperte, nonnulla mihi pro hac re conficienda Severinum Servantium Collium comitem perhumaniter communicasse. Id genus solatiis negociorum tristitiam deliniendam esse ipse est arbitratus: et ego civibus gratum me facturum judico, si eisdem viris sanctitate illustribus, qui in Ecclesia nostra floruerunt, eos addam, qui, etsi orti inter nos minime sint, hac tamen in urbe sacras corporum exuvias habent, ex romanis cryptis una cum tabula marmorea et vasculo sanguinis erutas.

Bernardus Gentilius Revellonus die, quo ad sacram gentis suae aediculam intulit (1) lypsana S. Septimii Martyris, confirmavit in omnium mentibus atque sermonibus existimationem, quam semper aluerat, viri pientissimi. Joannes Baptista Collius, eques militiae Etruscae Stephanianae, nihil habuit prope antiquius, quam ut sacellum suis in aedibus perquam splendide assurgeret. Curavit, ut

(1) SEPTIMIUS ERACLIUS QUI VIXIT
ANNIS XLIII. MES III
EI JULIANE LICINIA COJUGI SUO
CUM QUEM VIXIT ANNIS XVIIII.
MESS VI BENEMERENTI FECIT.

Angelus Antonius Anselmius episcopus in eo (1) corpus S. Urbicae Martyris praediviti ritu locaret. Sorores namque illas Collius adamaverat delicatulas, conjunctissimas, suavissimas, Picturam, Sculpturam, Architecturam dico, et earum regiam ejus genio manuductus quisque facile penetravit. Idipsum pietatis testimonium praebuit Joseph Oliverius, ex quo (2) corpus S. Duddae Martyris suis in aedibus venerandum exhibuit. Martyres isti fortissimi, Cives isti Sancti syderibus recepti, Asiaca lue depulsa, aegram civitatem sospitatores tristissimo periculo liberent (3). Sat etiam de viro-

---

(1) In tabula marmorea sic.

FORTUNATUS. URBICE COJUGI SUE. B. M. IN PACE.

(2) In marmore ita

DUDDA IN PACE

☧

(3) Asiaca lues, quae anno 1836. multos mortales in Piceno afflixit, perculit etiam die IX. Septembris Aloysium Venturium. Natus Eugubii anno 1781. die XXVI. Aprilis, et Pisas, bonarum asylum artium, ineunte adolescentia missus, medicinae studio se totum addixit. Florentiam inde profectus Mascagnium praeceptorem habuit. Doctoris insignia consecutus, gloriae desiderio flagravit; et nullus illo dignior vel aptior fuit repertus, cui mediciuae exercendae provincia ab illustrioribus Umbriae et Piceni civitatibus mandaretur. His

rum et mulierum claustris, quibus Septempedana Dioecesis fuit decorata. Dum horum probitatem atque virtutem, et in tractandis re-

---

de causis omnibus carus, et ab omnibus expetitus, tanto erat in pretio, ut ei certatim omnes vitae suae incolumitatem referrent acceptam, nec nisi splendidis decoratum muneribus ab se dimitterent. Siquidem multas opes sua sibi virtute collegit. Medicinam variis animadversionibus locupletavit, novis luminibus totam artem instruxit, et faciliori methodo illustria opera sic absolvit et edidit, ut ejus ingenio artem medicam illustratam viri docti libere fateantur. Insignioribus literariis sodalitatibus rogatus nomen suum dedit, et Joannis Thomassinii, clarissimi facultatis medicae et anatomen interpretis, aevique nostri Æsculapii, gratia floruit. Aloysius laboribus fessus, et adversa valetudine saepe conflictatus, otio honestissimo vitam claudere statuerat hac in urbe, quam uti aliam altricem suam ipse intuebatur. Ast, dum in oppido Montisfani de salute plane conclamatum videbatur, Asiaco morbo ipse animo infracto occurrit, et aerem sibi adversum et noxium, ingemiscentibus omnibus, adinvenit. Ejus effigiem debemus tabulae a Raphaele Fidantia pictae, quam inter delicias suas numerat Angela Tacchia uxor. Edidit Aloysii vitam et gesta eleganti stylo Dominicus Valentinius, ut viri tanti virtutes monumentis literarum perennibus testaretur. — *Maceratae* 1837. — Venturii occasum doluit Anastasius Tacchius canonicus pulcherrimo carminum nexu — *Giornale letterario di Perugia* 1836. — De eo scripserunt moestissime Barberius, Micius, aliique. Extat etiam excusum typis elogium a me italico sermone scriptum — *Maceratae* 1836.

bus consiliorum prudentiam satis cognitam habet quisque civium: liceat mihi studium ostendere, quo in Barnabitas teneor ob locupletissima amoris testimonia, quae Paulus Granellius, et Petrus Baleonius mihi in humanioribus literis instituendo praebuerunt, quosque libentissimo animo et nunc video inter cives versari, sacramque in Luminum aedem procurationem agere quam scitissime. A me habeat idipsum grati animi signum Joannes Podius Dominicialis, doctus, probus, munificus, et spectata virtute vir, qui me plurimum dilexit, qui de gravioribus disciplinis sententiam mihi per annos exposuit, quique pio invictoque animo in Grillusiana domo cessit naturae, literaria republica ingemiscente. Ipse honestissimas quasque artes promoverat, et in Philopistarum academiam cooptatus omnium consensione curaverat, ut in sodalitatis tabulas eorum nomina quamplura referrentur, qui poesim, quique eloquentiam, in Italia publica opinione primores, erant professi. Ita novum decus, novamque nobilitatem Podius addiderat ei curiae literariae, quam Gaspar Tognacius canonicus, Dictator senatus Philopistarum, anno 1816 certis legibus, et institutis

constituerat: de qua sodalitate constituenda jampridem cogitaverant Germanus Margarutius, Philippus Varanus, humanarum literarum professor, Joseph Ranaldius, Joseph Dialucius canonicus, Dominicus Valentinius, Anastasius Tacchius canonicus, cives severioribus disciplinis addicti, et musarum italicarum alumni, qui per me scribam publicum publica decreta sodalibus indicenda censuerant. Lubenti animo haec refero: sunt enim literulis nostris perhonorifica. Sed laetor etiam videre in Podii (1)

(1) Joannis Podii elogium P. M. Martinellius vir eruditissimus scripsit, et legendum posteris consignavit Joseph Ranaldius, qui in illustrandis patriae monumentis est sane diligentissimus, quique de universa re nostra est optime meritus. En elogii verba relata in opere, cui titulus — *memorie storiche di Santa Maria del Glorioso* -

D. O. M.
Cineribus . et . virtutibus
Iohannis . Podii . Quiritis . Dominicialis
Qui .
Pietatis . doctrinae . fortitudinis
Fama . inclaruit
Prosperis . adversis . q. rebus . Æquanimus
Sui . juris . praedia . publicata
Ære . suppeditato . redemit
Praesidis . munere . fungens
XII . Lustris . prope . confectis
IV . Id . Iulias . elatus . est
Ær . Christ . MCCMXX.

honoris, et sapientiae aditum inter Dominiciales, interque cives fuisse suffectum Hiacynthum Angelum Mariam Celle Genuensem. Statim ac eloquentiam sacram profiteri ipse coepit, magna est de illo, Genuae primum, mox Bononiae expectatio excitata, quam deinceps maxima existimatio est consecuta. Praecipuae ejus virtutes sunt perspicuitas et gravitas, nec illi deest affectuum vehementia. Intimae theologiae succo, solidaeque sanctorum Patrum doctrinae nervis viget ejus oratio, quae praeterea disciplinarum omnium varietate efflorescit, atque redundat. Qualis in stylo est mundities, talis, quod pluris habendum, est in moribus.

Viginti effugerunt anni, ex quo Dioecesi Septempedanae auspicato contigit addici Jacobum Ranghiascium Brancaleonium episcopum, quo non alter in consulendo coenobitarum negociis praestantior, in eorum jura defendendo, et bona, quibus eo auctore honestati fuerant, asserendo. Patiatur ipse, ut hunc librum, votivas quasi tabules, ei patri munificentissimo suspendam: et sit ejus, ac civium hanc ocii mei per dies feriatos honestissimam occupationem excipere. Si quid autem mediocre praestiterim, obsecro, ut boni consulant, et protegant ab invidia. Re-

stat, ut de Septempedanis Episcopis disseramus, utque collectas, tanquam in speculo, per tertiam partem addendam eorum virtutes recolamus, qui inter equites a summis Principibus fuerunt adlecti, quique in literis, atque in aula sublimioribus gradibus honorariis insigniti. Id etiam civibus jucundum fore confidimus, quum hisce studiis et ipsi maxime delectentur, quumque semper nobilitas ab re equestri, aut a toga derivet.

INDEX CAPITUM

LIBRI SECUNDI.

99 958169

IMPRIMATUR

Fr. JOANNES MATHAEUCCI Ord. Praed.
S. Th. Mag. et Vic. S. Officii.
Maceratae die 21. *Junii* 1837.

IMPRIMATUR

STEPHANUS Can. GAMBINI Pro-Vic. Gen.
Maceratae die 21. *Junii* 1837.

Digitized by Google